



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

Junius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**

## I. DIES JUNII.

Non expugnat concupiscentiæ malum nisi continentia bonum. *S. Augustin. de*

*Contin. c. 3.*

Concupiscentia. **P**ost propositos animi morbos, progredimur ad eorum fontes undè dimanant, & pharmaca quibus curentur. Inter ea quæ vitia & scelera vel patiunt, vel parta fovent, tria præcipuè memorantur, concupiscentia, voluptas, & animi perturbationes. Tres sunt impuri fontes, qui in omne genus sordium ebulliunt, tres radices infœlicium arborum, undè mala propè infinita pullulant. In his ergò venenatis fontibus obstruendis, in his radicibus extirpandis, nostra jam laborabit industria. Ordior à concupiscentia. Hic fons uberrimus vitiorum est, undè mala plurima totis alveis effluunt, & in animos influunt, nisi mens Dei præsidio munita exultantes ejus motus comprimat, & furibundos impetus coërceat. Illa contra nos acriter bellat, fortiter nos debellat, fœliciter de nobis triumphat. Spectemus primò bellantem. Divus Jacobus dicit illam (a) *militare in membris nostris*. Itaque ut Babylonica Semyramis, & Bellatrix Amazon, formidandas vitiorum legiones, noxarum manipulos, pravarum affectuum turmas auspiciis suis ducit in caput nostrum, & nostri capitis perniciem. Quapropter in toto corpore, velut in Martio campo, in membris

Pars II.

Dd

lingu-

(a) *fac. 4. I.*



fingulis, in sensuum portis, collocat præsidium suum, aciem instruit, erectas appetitiones, ut milites suos incendit, & immittit ad turbandum animi imperium, ad exterminandas virtutes, ad eripiendos nobis nostra merita, ad cladem denique animo inferendam luctuosissimam.

II. Spectate jam eandem nos bellando debellatorem. D. Paulus Religionis primipilus fatetur se eptum concupiscentiam in membris suis repugnantem. Quot corpus numerat membra, tot concupiscentia pro se contra nos recenset arma. Est enim corpus nostrum armamentarium ejus instructissimum & exitialis belli officina, ac telorum panoplia, in quibus indies tela acuuntur, bombardæ fulmineæ preparantur, sarissæ in pectus ituræ poliantur, funes, laqueique texantur in animi exitium. Ipsa lingua in clangentis tubæ, canit bellicum, fitque sæpè verus gladius, quo alterius famæ immedicabile vulnus affligit. Oculi intendunt arcum, eoque toties emittit sagittas, quoties movet palpebras. Cor toties atroci vulnere confauciatur, quoties, vel amoris, vel odio, aliisque affectionibus succumbit. Hinc D. Paulus membra nostra vocat, (a) *arma iniquitatis*, quæ concupiscentiæ belligerent, cujus artibus, & corporis titillatione, quasi leviori, armaturæ volitione fracti, non sine probro mentis, & opprobrii rationis, manus illi damus, & blando inimico herbas porrigimus, ex quibus illi accrescit laurea. Atque ita tollitur bonus usus membrorum, dum vertitur in omne genus armorum: quod insequitur orationem suâ Tertullianus. (b) *Neque enim, inquit, oculos*

(a) Rom. 6.13. (b) De spect. c. 2.



Junius.  
fidium  
ut milia  
a animi  
pienda no  
no inferre

Junius.

Tessera.

419

concupiscentiam sumpsimus, neque linguam ad malilo-  
quium, & aures ad receptaculum maliloquii, & gulam  
ad gula crimen, & ventrem ad gula satietatem, & ma-  
nus ad vim, & gressus ad vagam vitam, aut spiritus  
ideò insitus corpori, ut insidiarum, & fraudum, iniqui-  
tatum cogitatorium fieret.

III. Nobis debellatis, sequitur jam ejus trium-  
phus. D. Paulus expertus est concupiscentiam non  
modò in se contra se pugnantem, (a) sed captivantem  
se. Quæ prompta è bellica disciplina, robur ejus  
formidandum demonstrat, quæ animam jam ejus  
subditum, captivum tradit, & in servitutem trahit;  
dein in mente, velut in sublimi arce, vexillum, ut vi-  
ctoriæ partæ monumentum figit: ac deindè de spo-  
liatis virtutibus trophæa erigit ad insigne dedecus a-  
nimi. Itaque ex concupiscentia, omne in animo pec-  
catum, ex peccato inter corpus, & animum bellum.  
(a) *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* O  
inauspicatum partum! ô malè ominatam prolem!  
cujus parens est incubus dæmon. Hinc jam certa a-  
nimæ pernicies, dum ab illo utero, ut ex equo Tro-  
jano, in arcem mentis violenti motu s, instar furi-  
bundi exercitus irrumpunt. Ne ergò vincaris, imò  
ut vincas, huic concupiscentiæ malo, oppone conti-  
nentiæ bonum. Animantium motum afficit appe-  
titio: si equo fœnum, ovi ramum, sui glandem o-  
stenderis, celerrimè accurrunt. Sic in hominibus  
evenit, si aurum tinniat, si argentum colluceat, si  
theatrum blandæ libidinis, si pompa ambitionis,  
(nidomita fuerit) appetitio studio inflammato ra-  
pitur, & velut miles ad prædam ruit; indè pro præda

D d 2

inter

(a) Rom. 1. 2. 3. (b) Jacob. 1. 15.



inter hominem superiorem, & inferiorem acerrima pugna. Quapropter cum carne bellandum est, ut facias bellum: juxta Poëtam:

*Si timeas bellum, facias cum carne duellum.*

## 2. DIES JUNII.

Unicuique sua cupiditas, tempeffas est. *S. August. serm. de verb. Dom.*

Cupiditas in homine, idem est quod tempeffas in æquore.

**C**upiditas in corde hominis non modò movetur, velut in campo, & tempeffates, velut in fre-

Quod si libeat intueri statum animi, in quo baccatur cupiditas, is mente sibi fingat dromonem impetulo vela facientem, tum oboriri primum ventorum murmur, deindè increbrescere, fluctuum voracitate attolli, & reciproco allifu ad litora frangi, cœlum involvi tetris nubibus, eripi diem opacis umbris, imitari micare fulmina, mugire reboantium tonitruum, gurgites, omnia metu, & horrore compleri. Interim cumani fluctus totâ aquarum mole in navim incumbunt, paulatim compages solvuntur, vela scinduntur, malus frangitur sævientibus Austris, fit ventorum concursio, & vociferatio, hebetatur animus, neque anchoræ locus est, nec clavo, quia navis gubernaculi impatiens hinc indè in diversa raptatur, furit tempeffas, & naufragium minatur: nihil observatur omnium oculis, nisi plurima mortis imago. In omnium vultu est pallor, in membris tremor, in animo timor, in corde pavor, ubique immensus horror.



II. Revocemus mentem ab Oceano, & in hominem introeamus. Quid est hic mundus in quo degimus, nisi mare, in quo vela facimus? Audi Senecam. (a) *In hoc profundum, inquietumque projecti mare alternis estibus reciprocum, & modo allevans nos subitis incrementis, modò majoribus damnis deserens, assidueque jactans, nunquam stabili consistimus loco: pendemus, & fluctuamur; alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes casus exposito mari navigantibus, nullus portus, nisi mortis est.* Adjiciat & suum calculum profano, etiam sacer auctor D. Ambrosius. Sic ipse: (b) *Cursus hic noster in quodam sale mundi jactatur. Navigandum nobis est, & malorum tendiculis vela insinuanda sunt. Procella sævit, ventus consurgit, tempestas insanit. Si ita clavum tenueris, ut manus tuæ retinenda non amittant, ad portum illibatis mercibus tendes: sin verò fluctibus adversis illisus scopulis implicantibus, ac flatibus præpeditus, inter freta rixantia, tumidi gurgitis naufragaris, redeundum est ad saburræ, &c.* Quia porro in ore trium testium, stat omne verbum, accipe hîc tertium D. Chrysologum. (c) *In hujus seculi mare tumens pompâ, elatum vertice, undosum sectis, inscitiâ fluctuans, clamosum litibus, fremens ira, sævum perfidiâ, peccatis naufragum, impietate demersum, misit piscatore suos Christus. Habes hîc mare, vide nunc in eo tempestates.*

III. Idem qui paulò antè mare, etiam in eo expressit tempestates D. Ambrosius. (d) *Magnam faciunt tempestatem, multitudines cupiditatum: que*

D d 3

veluti

(a) *Consol. ad Polyb. c. 28. (b) De pœnit. c. 12. (c) Serm. 47. (d) Apudag. David. c. 5.*



veluti in quodam freto corporis navigantem, hinc atque  
 inde perturbant, ut gubernator sui animus esse non  
 possit, die ac nocte caliginem amoris ignorans. Idem  
 tibi: (a) Est quaedam in tribulationibus interna peccato-  
 rum seua tempestas, quando sunt foris pugnae, interni  
 timores. Est aqua contradictionis, quando veluti quasi  
 maritimi salis aestu fluctuant nostrae cogitationes, nec  
 ulla in profunda mentium, definitionis stabilitate pla-  
 cidantur. Accipe de eodem argumento tertium, tertium  
 primi ejusdemque auctoris pronuntiatum. (a) Insuper  
 entes corde turbantur, & ipsi sibi sunt propria exagita-  
 tionis auctores, quando desideriorum suorum aestu  
 vuntur, & quodam salo fluctuant. Quam concinne  
 haec omnia conveniunt cum hodierna tessera? Quae  
 sunt illi Typhones impetuosisimè resistentes, quam  
 spirantes, & immoderati affectus? Quænam tam fo-  
 rox in freto procella, quam in animo iracundia?  
 Quænam in corde speranda malatia, in quo æstus  
 invidia? Pravi affectus, ipsi sunt fluctus, ipsi turbines  
 & procellæ sunt. Illis sævientibus, eripitur menti  
 es, conglobantur in intellectu tetrae nubes, ubique  
 spissa est caligo, fiunt omnia confuse, ac perturbata.  
 summa levitas, impotentis animi inconstantia, & quae  
 fieri solet in tempestate, caelestium mercium, bono-  
 rumque sequitur jactura. Quapropter quantum mo-  
 tuis naufragium, tantum fugias sequi cupiditatis im-  
 perium. Quantum in te geris affectus, tantum tuos  
 moderare affectibus. Ad illud te hortor, exclamavit  
 eum Poëta:

*Affectus generant luctus, in pectore fluctus.*



## 3. DIES MAII.

Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate, *Cicero 2. de finib.*

Voluptas. I. **N**isi hujus tesserae citassem auctorem, credidisses eam fluxisse ex calamo non Erhnicæ, sed Catholici; non Tullii, sed Tertulliani. Si dies unus in voluptate exactus ab homine, faciat indignum nomine hominis; quis inter homines gaudebit titulo hominis? Nonne exterminari deberet ista nomenclatura, ex rerum natura? Quid hoc monstrari, voluptatem, quam Gentiles abominantur ut Furiam, Christiani exosculantur ut filiam? Cùm tamen nulla sit eâ capitalior homini pestis. Illa enim suscipit patrociniū omnium prope vitiorum. Illâ perorante, & argumentationes suas tortuosas, & cavillatrices explicante, mens, ratio, justissimæ leges, Numinis voluntas, quæ in vita, ut in communi hominum foro, & judiciis dominari, par est, abjiciuntur. Nullum quippè est maleficiū tam immane, nullum scelus tam enorme, nullum flagitium tam turpe, nullum facinus tam detestandum, cui non sua patrocinetur voluptas, vel quod non gustus quidam suavitatis alliciat. Itaque plures in foribus voluptatis, quàm olim in januis præstantium Oratorum, sunt palmarum, laurearumque indices triumphorum, adeò ut illi uni omnes fasces submittant, herbas porrigant, ut totus



mundus illi epinicia canere videatur, & cum Epicuro, ac Epicureis Poëtis exclamare: *Dux vitæ, diuolutas.*

II. Adeò illa in omnium naturâ est impressa, inserta penitùs hominum fibris, ut videatur se negare, qui voluptatem ejurat, quasi à natura discedens, qui jucunditatem vitæ repudiat, sine qua vix extendenda vita videatur. Hinc liquet, quàm sit facturum, contra voluptatem eniti, comprimere, & judicare, quæ cuilibet est congenita, singulis domestica, uniuersis non modo familiaris, sed quasi cotubernalis. Quàm porrò est omnibus familiaris, ita est cuilibet exitialis, ita ut nullum sit vitium, cum quo non habet contubernium; hinc prouocum ab illa perditur iter ad omne scelus, quæ blandâ omnes temptatione allicit ad libidinem, & alia insignia mala. Quos propter qui mentem altiùs efferunt, illud sibi proponunt, ut omne genus voluptatis, quæ à carne, & sanguine petitur, uti Sirenium scopulum vitent, ut Cepherea saxa declinent. Quod præsertim illis studium providendum est, qui à naturâ mulieriosâ, facillime moribus implicantur, aut dulcium rerum gustu, & cupediis capiuntur, & affluentium communium opum abundantiam in mollitiem infringuntur. Quibus acerrimè pugnandum est, & influenti, ac blandienti voluptati, Dei timor obijciendus, & dicendum cum viro Græciæ clarissimo: (a) *non tanti emo penitentiam adde, pudere, tædere, perire.*

III. Quid quod voluptas, quæ hauritur è voluptate, sit tempore modica, acerbitas, quæ in nascitur, sit diuturna? Voluptates nobis somniatibus dolores vigilantibus offeruntur; molestia in manibus

(a) *Gell. l. 1. c. 8.*



Junius.

Tessera.

425

degustandæ porriguntur; quies autem tantum auri-  
 bus haurienda conceditur. Dantur nobis aduersa, ut  
 experiamur; prospera tantum, ut intueamur. Si qua  
 se offerat in vita iucunditas, præterit non reditura. Si  
 verò occurrit anxietas, manet non relictura, ut porrò  
 excello monti præcipitium, ita voluptati finitimum  
 est fastidium. Deinde antea penè avolat, quàm advo-  
 lat; citius miramur præteriisse, quàm delectamur ve-  
 nientibus; antea ferè aufertur, quàm venerit. Unde  
 voluptas cuiuslibet est advena, quæ inde sequitur acer-  
 bitas, est incola: illa hospes, hæc domestica: illa est  
 velut in alieno solo peregrina, hæc quasi in proprio  
 domicilio inquilina: voluptas inardescit concupita,  
 vilescit acquisita, evanescit amissa. Præterita autem  
 voluptas præsentem non iuvat, & exhausta non fa-  
 tiat. Denique ubicumque, & quocumque inceda-  
 mus, tanta est sincerarum voluptatum penuria, tanta  
 molestiarum abundantia, ut vix centum annis unum,  
 quo oblectemur, & quibus excruciamur, vel myria-  
 des passim reperiamus. Non sinamus igitur nos à cæ-  
 ca cupidine excæcari: nam teste Poëta:

*Mentes corruptas excæcat blanda voluptas.*

#### 4. DIES JUNII.

Quid prodest si exteriora serenitas teneat,  
 interiora tempestas. *Cæsarius Arelatens.*  
*Hom. 27.*

Dd 5

I. Ut



I. **U**T sis sincerè fœlix, necessè est, ut homo interior, & exterior, quadam veluti harmonia, inter se modulentur. Nihil enim conferet ad felicitatem, si sit malacia in fronte, & procella in corde: foris pax, intus bellum: extra te silentium, intra te tumultus; si manus teneat olivam, cor romphæam. Itaque ut inter tot miserias, desinas esse miser, omnes animi affectus compellendi sunt ad gyrum rationis. Ut varius est in variis terrarum regionibus solis genius, sic & in hominibus terrena sapientibus, diversi sunt affectus. Rhodus, & Jonia terræ motibus frequenter quatiuntur, vexatur eluvione Thessalia, Ætna ardet, Thracia nive candet, Cimmerii tenebris inobscurantur, Nilus tellure sorbetur, Delos in Ægeo fluitat. Non dissimilis in cœlo varietas, signorum oppositiones, planetarum error, oblectantes motus: Saturnus maleficus, Sol canem mordens, Mars siccus, humida Luna. Sic in hominibus, bile fervet, invidiâ ille tabescit; hunc exedit agrestis, libido illum corrumpit, alium metus abripit, audacia quosdam supra nubes attollit. Quot homines, tot adversæ, repugnantisque animi perturbationes, quibus miserum cor, ut cymba in salo agitatur.

II. Neque res adventitia est, & peregrina, sequens obiter insinuans, & recedens; nobiscum adulescunt, atque, ut ore Tertulliani, phrasi tamen non Tulliana loquar, *contemperant fortu, coætaneant natu*, adeoque nobiscum contenescent, nec prius discedunt à statione cordis, quàm nos à statione vitæ: atque idcirco non nisi eodem cum vita, & corpore, tumulo confestim

pe-  
liu-

Junius  
pe-  
liu-  
tius, u-  
se digla-  
virium c-  
domina-  
vet arma-  
tate tur-  
ut nunq-  
deantur  
biculo f-  
ad vicin-  
quin &  
bundi f-  
& quasi  
Iram, u-  
cum illi  
dormier-  
illis alt-  
pectore  
ciunt, &  
& pluse  
libidine  
cupidita-  
pestes, &  
belluæ.

III.  
nuam e-  
conniv-  
mediis  
mus,  
nunqu-  
cti, &



Junius. Multorum animus est veluti campus Martius, ubi sibi repugnantes, affectus acerrimè inter se digladiantur; turbidi, ac furiosi motus, qui omnium virium contentione dimicant, ut occupent animi dominatum. Quo ubi potiuntur, tunc demum movet arma furor, illis in quiete est labor, in tranquillitate turbatio, in securitate pavor, in solitudine turba, ut nunquam minus soli esse, quàm cum soli sint, videantur. Nam tametsi in vestigio suo hæreant, in cubiculo fixi, evolant tamen furiosâ mentis agitatione, ad vicinos, in vicos, in forum, in curiam, in trivium, quin & ad loca remotissima cogitationibus palabundi se conferunt, umbratili certamine pugnant, & quasi contra hostem, sine hoste congregiuntur. Iram, ubi nullus adest, cui irascantur, concipiunt, cum illis quasi sibi adstantibus rixantur, inimicis dormientibus, ac silentibus, contentissima voce cum illis altercantur. Fabricantur sibi in turbulento pectore quasi theatrum, ubi gratis insaniant, ferociunt, debacchantur. Ubi ludos insolentes ludunt, & plusquam Thyesteas tragœdias agunt, amor in libidinem effervescens, alienarum rerum immodica cupiditas, contabescens animi mœror, ceteræque pestes, & pectoris quæ in eo stabulantur, monstra, & bellæ.

III. Voluit porrò Dei providentia, hanc continuam esse animi luctam, & inquietos motus, ut non conniveamus vitio, indormiamus nostræ salutis, & in mediis veluti periculis ludamus, & nobis illudamus, sed perpetuò pavidi, noctes, diesque solliciti, nunquam non anxii, in omnem partem circumspiciti, & solerter, ac jugiter intenti, in vicinorum

rum



rum hostium eruptiones, vitam moliamur in caelum, atque ex ipsis difficultatibus, strenuè obnitendo, fortiter obluendo, victrices nobis ad deas comparemus, manubias colligamus, trophæa erigamus, & aureis lemniscis coronam indies nostram insigniamus. Qui verè commotionibus illis non obstitunt, credi non potest in quot pericula se induant, quot pedicis illaqueent, quot clades animi, & dedecoris patiantur. Nam in simili animo, ut in tumultu Gallico denuntiato, semper ad sagum, & mucrone decurritur, semper classicum inflatur, & bellicum canitur, nec aliud quàm illud Maronis auribus perpetuò insonat, *Arma viri, rapite arma viri*. Furor, & Bellona circumeunt, concitantur ardentibus tædiis tartaro emissæ Eumenides, fit conjuratio, pax & quietas obturbatur. Frustrà igitur domi solus est, qui ventis perturbationum in locum omnem rapitur, & nunquam secum, semper extra se, ubique est. Nec solitudinis, aut noctis silentium illi pacem, & quietem adfert, cui passiones forum, & tumultum fabricantur. Ne servias, gere ut olim Romani, bellum in servos, hoc est serviles, & viles affectus, quos nisi exterminas, experieris in te protervos. Sequere ergò consilium Poëtæ:

*Ejicias servos, quos noveris esse protervos.*

## 5. DIES JUNII.

Per sensus quasi per quasdam fenestras, virtutiorum in animam introitus est, *S. Hieron.*  
*l. 2. in Jovin.*



Junius.

Sensus, jan-  
nuæ mor-  
tis.

I. **P**er incuriam in custodiendis sensibus, planè in negotio salutis finis incurii, & prorsus insensati. Sensus, oraculo Jeremiæ, sunt fenestræ mortis, judicio S. Gregorii, sunt (a) *Janna mentis*, per quas ingreditur conscientia, editura magnas in animo strages, in pectore clades, totamque interiorem Rempublicam everfura. Hinc si sensus, rationis fræno non coërceantur, mentem effœminant, & cereram, facilemque reddunt ad suscipiendas omnes libidinis titillationes. Fit autem illa effœminatio, atque in vitium prona mollities, à voluptate, quæ congenita nobis, & intimis visceribus illita, contagione suâ totum corpus inficit. Per has Fenestras, fit aditus in intima mentis adyta, vix metropolis, & arx mentis capi potest, nisi per illas portas irruerit hostilis exercitus. Ad illas animi portas subsident in insidiis concupiscentiæ, voluptas, & tartarearum legionum princeps dæmon, ut si tantillum mens à custodia, vigiliaque sua desciverit, subito ingrediantur, inexplicabili nostrâ calamitate si vel rimam inveniat concupiscentia, per quam intus possit irrepere, blanditiis, aut aureis cincta telis, & loricata voluptate, pedē figit, tanquam in suo. Possessio acquiritur, ut magni ajunt Juris-consulti, *etiamsi in angulo tantum ingre- diatur*. Quod nusquam verius fortè videbitur quàm in sensuum voluptate, ac concupiscentiæ hoc introitu, quæ vel ad latum unguem admissa violentum dominium occupat.

III. Non imitemur Celtas, nec Æthiopes: illi

*jannas*

(a) *Ser. 9. Gregor. Moral.*



(a) *januas edium nunquam claudunt*, inquit Nicolaus Damascenus, hi (b) *domus sine foribus clauserunt*, teste Stobæo. O quot reperiuntur his similes, qui summâ impudentiâ, aut impietate sic patentis latro sensus, & apertos habent, atque ad omnia excipienda paratos, ut insidiantem undique voluptatem, atque ad portas volitantem, cum dæmone invitare vel le videantur. Quanta est insania illorum, qui cum tantur summâ licentiâ, & effrenata libertate sensuum, oculos habeant vagos, gestientes, lenocinantes; aures prurientes, & quibuscumque excipiendis inhiantes, tactus lasciviam nullo modo cœerceant, ex aliis denique sensibus voluptatem aucupentur; se tamen non modò tutos, sed securos, ac periculo vacuos, & præsidio suæ constantiæ sat robustos autumant. Quis fieri potest, quin sint vicini exitio, proximi præcipitio, qui sensuum lenociniis obedientes, & haurientes undique voluptatem, apertis omnium sensuum januis, omnine genus licitæ, illicitæ delectationis excipiunt, ut caupo quoscumque hospites, peregrinos, advenas? Quid hic aliud sequetur, quàm ut dæmon illic cum suis satellitibus ingressus, duro, ac crudeli dominato animæ castellum occupet, & suo barbaro imperio subjiciat, pro libidine agat quæcumque?

III. Propter sensus sine cautela custoditos, cupimus, irascimur, gestimus, invidemus, æmulamur, solliciti sumus, & expletâ voluptate, per quandam penititudinem iterum accendimur, volumusque facere quod fecisse denuò pœniteat. Igitur cum per has portas, quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intraverint, ubi erit libertas? ubi

(a) *De morib. gent.* (b) *Serm. 42.*



fortitudo? ubi salutis cura? ubi de Deo cogitatio? Ob has rationes multi ex antiquitate Philosophi reliquerunt urbium frequentiam, fori tumultus, hominum fremitus, & hortulorum amœnitatem, ubi ager irriguus, & comæ arborum, & sursurri avium, fontis speculum, rivus immurmurans, & multæ illecebræ aurium, ac oculorum lenocinia, ne per hæc oblectamenta animus palabundus extra se vagaretur, & intra se vexaretur. Pericula quæ nobis imminet ex sensibus, his verbis perstringit D. Ambrosius: (a) *Respexit oculus, & sensum mentis invertit; audivit auris, & intentionem inflexit; inhalavit odor, & cogitationem impedivit; os libavit, & crimen retulit; tactus contigit, & ignem adolevit.* Si fueris ut Argus centoculus circumspectus in servandis sensibus, visus in rebus conditis videbit salutare Dei; auditus percipiet, quid loquatur in eo Dominus; gustatus libabit, quàm suavis sit Dominus; odoratus hauriet suavitatem odoris sancti, tactus osculum sponsi expetet. Ne ergò mihi contingat quod dicit Poëta, invigilabo sensibus.

*Perdo animi census, nisi frænem carcere sensus.*

## 6. DIES JUNII.

In aula nunquam fui quietus, extra aulam nunquam inquietus. *S. Norbertus.*

- I. **D**omicilium Quietis, digito demonstrat Auctor Ordinis Præmonstratensis. Satius est esse quietis compotem, vel

(a) *L. de fug. secul. c. 1.*



vel in caula, quàm ejusdem expertem vel in aula. Utramque fortunam, sed magno discrimine, & in aula & extra aulam fuit expertus, Auctor hodiernæ tellosæ D. Norbertus. Auctor tibi sim, ut sequaris tantum Ordinis Auctorem, si lubeat assequi quietem. Ubi certius invenies quietis domicilium, quàm ubi est *eterni Regis habitaculum*? Hoc titulo Innocentius IV. condecoravit familiam illam Præmonstratensis Ordinis, numquam satis nec commendatam, nec commendandam. Quot in ea degunt viri, totidem lucent veluti *luminaria infirmamento celi*. Sic eos indicat Adrianus IV. Putes Christum hunc Ordinem fecisse, quasi hæredem suæ, qua in monte Thabor fulsit, gloriæ. Illic enim *(a) resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. Ecce hic in facie, instar solis, splendor; in veste, instar nivis, candor. Hæc sunt duo quæ hunc Ordinem mirifice commendant, in mentibus splendor, in vestibus candor: ille referre faciem solis, hic speciem nivis. Solis splendor designat, qua fulgent, scientiam; nivis candor, qua florent, vitæ innocentiam; utrumque consummatam sanctimoniam.

II. Quia porrò futurus erat Norbertus vas electionis, cujus beneficio non pauci essent adsciscendi inter paucos electos, simili ferè modo ut Paulus ad Christi castra fuit evocatus. Ibat is in Freden comitis famulo, generoso vectus equo, alta spirans, ad magna, ex mundi judicio, aspirans; cum subito totum in nubes cogi cælum, horrendo boatu mugire tonitruum coruscare fulmina, evibrari fulgura, eaq; inter audiri, quæ non tam terrerent, quàm docerent, hæc fulminatrices voces: *Norberte, Norberte, quid me persequeris*.

(a) *Matth. 17. 2.*



ria? *Corpus aptavi tibi, aruias quibus te ostentas, ad-*  
*ministravi tibi; mihi servire debueras, & cur alios*  
*perdere festinas? Durum est tibi contra stimulum cal-*  
*citrare.* Alia deinde adhibita est ad ejus animum ex-  
 pugnandum, è cælo machina: hoc est, disruptæ nubis  
 violentia, elisusque fragor, qui ad equi pedes dum  
 circumfremit, simul ingentem terræ patefecit hia-  
 tum, quo & equus, & vector potuisset absorberi. Hoc  
 fragore post horæ intervallum, vigiliæ sibi que reddi-  
 tus, erupit in hæc verba; non tam voce, quàm corde,  
 cum Saulo, ipse adhuc Saulo similis: *Domine quid me*  
*vis facere? Mox è cælo vox reddita: Desine à malo, &*  
*fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.*

*Tanta molis erat Norbertum subdere Christo.*

III. Sic tonitruanti voce prostratus è cælo, totum  
 se erexit ad cælestia. Statim enim ut esset suus, dese-  
 ruit suos, & sua Totusque jam non amplius terreni  
 Principis, sed divini Numinis, voluit sub ejus signis  
 pugnans pugnaturus, experiri, quid posset Christus  
 Norberto milite, quid Norbertus Christo duce. Il-  
 lum enim Dei afflatu, & summi Pontificis consentu  
 instituit Ordinem, qui Ecclesiam non tantùm forti-  
 ter propugnaret, sed longè lateque ad extrema ter-  
 rarum, propagaret. Quàm porro sit populosa Nor-  
 berti propago, & tum dignitate, tum scientiâ, tum  
 sanctimoniâ fuerit semper conspicua, hinc proclive  
 erit intelligere. Recensuit Præmonstratensis familia  
 Abbantias mille, & trecentas virorum præposituras,  
 ac quingenta Sactimonialium cœnobia. Occupa-  
 vit autem sexdecim Ecclesias, tum Metropolitanas,  
 tum Cathedrales, quibus Archiepiscopos, Episco-  
 pos, Præpositos, Archidiaconos, Canonicos pluri-



mos, per ætates plurimas subministravit. Quid non debet hæc ipsa, ubi hæc scribo, urbs Antvervia, Norberti familiæ? Quod non subfuerit Tanchelino tali illi hæreseos portento, uni hoc debet Norbertus. Sed illa familia non modò virtute, & eruditione, avito, imò & regio sanguine illustres recenset. Hic inter eminent Robertus è regio Anglorum sanguine prognatus. Scitè ergò Poëta:

*Debet Norberto, si est Angla clara Roberto.*

## 7. DIES JUNII.

Oculi vestri etiamsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem. *S. Augustinus Epist. 109.*

**Cautelâ I.** **M**ultum differunt, in aliquem magnâ opus circa oculos. **M**oculos obiter jacere, & ea quæ non decent, oculos figere, & animæ lethale vulnus infligere. Credes si sequenti maturè expendas. Acroama est Salviani, oculos esse (a) naturales quosdam animi cuniculos. Ut enim in obsidione civitatum, quæ naturâ, artificioque munitæ sunt, ducto cuniculo ad castellum, fit resticulus pulveris tormentarii, duciturque in lineam ad prædii fundamentum; neque tamen igne applicito frustatim illa grandia, & miranda, quæ videmus: paulatim flamma serpit per apertam viam secuta, & exigui fomitis continuatione innutrita, donec specum latè patentem, & copiosam materiam infusa, in vastum erumpat incendium. Tunc videtur

(a) *L. 3. de Provid.*



Junius. subito ignem furere, totum quati, horrifico fonitu compleri omnia, subruu turre, volitare saxa, moles in sublime attolli, quasi telo trifulco Poëtici Jovis, aut Gigantum immanium conatu, Acroceraunia convellerentur. Ita eximiae formæ pulchritudo, per oculos, ut animi cuniculos subiens, si aspectus continuatione, ut igneo fomite, ardor ipsa cupiditatis, intimam in arcem prævenerit, magnum fieri incendium necesse est, fumo, & tenebris compleri mentem, pro profita pia convelli, Gratia propugnaculum everti, ruere muros dissipatae conscientia, non sine acerba calamitate.

Il. Oculos corporis esse cuniculos animi, docebit nos suo damno, utinam nostro timolumento, David, princeps dubites purpurâ, an sanctimonia clarior. Hic cum somnio meridiano se mollius recreasset, surrexit è lectulo regio, captare liberio rem auram voluit, deambulavit in solario domus regia, unde libet in omnem viciniam prospectus fuit, circumegit curiosè oculos, (a) viditque mulierem se levantem ex adverso. O quam acutè hîc Augustinus! (b) Mulier longè, libido propè. Vidit, & subito à formoso illo spectaculo radius, & cum radio fulgur, & in fulgure vibrans amoris ignis, & ex igne ardor interiora depascens, unde illa consecuta sunt, quæ cum legimus, vel audimus, legentium est dolor, audientium stupor. Deus bone! Magnus ille Messia Pater, ille à Deo coronatus, & vaticinio pollens, in cujus pectore, ut in opportuno diversorio S. Spiritus sedem posuerat, unde velut è tripodè loquabatur, ille præco mirabilis, ac pictor Evangelii futuri, & Ecclesiae olim triūphantis.

Ec 2

Ille

(a) 2. Reg. 11. 2. (b) In Ps. 50.



Ille divinitus amplissimo dominatu potens, tot re-  
donis cumulatus, domus Saulis, & genitum barba-  
rarum victor, cui ad cumulum humanæ felicitatis  
admodum nihil deesse videbatur, uno contuitu frus-  
tratus, & abjectus, è libero servus libidinis, è vide-  
te cæcus, è Dei amico hostis, ex opulento spoliatus  
& miser evasit.

III. Mihi quidem miserandus David jure videtur  
tunc dicere potuisse, quod post longè fletu, & ma-  
rore plenus cecinit Jeremias. (a) *Oculus meus depra-*  
*datus est animam meam.* Sed qualem animam  
quàm calamitosè depraedatus est? Illam animam  
felicissimam urbem, Angelorum multis legionibus  
cinctam, bonis cælestibus affluentem, omnium ve-  
tutum locupletem: in requie opulenta sitam, & con-  
scientiæ tranquillitate, plenam divinis Apothecis,  
peregrinæ huic mundo merces continebantur, non  
ab Indiæ felicibus oris, sed è cælo empyreo petita  
urbem devotione præstantem, quotidianis animi do-  
nariis, votisque, nobilem; ubi Circi, & curricula peti-  
tionis, & multiplicia theatra proposita mundo, An-  
gelis, & hominibus ad intuendum, ad mirandum,  
imitandum. Hanc, inquam, animam, ut civitatem  
suis ornamentis gloriosam, unico aspectu oculis de-  
praedatus est, spolia diripuit, trophea statuit ad pe-  
petuam ignominiam sanctitatis. Sustulit è mente li-  
men, è voluntate religionem, ab animo gratiam,  
Vate prophetiam, à Rege consilium, à Dei amico  
summi Parentis inexplicabilem illam benevolen-  
tiam, & favorem, quo gestiebat prius, & mirifice  
gloriabatur. Hem animi humani imbecillitatem, su-

(a) *Thren. 3. 51.*



ra omnium opinionem maximam! Quem unus ra-  
 cius muliebris venustatis, in oculum curiosum exce-  
 ptus, sic abripit, agitat, & transversum agit, & è regia  
 virtutis via deflectit, scelere infami, incomparabili  
 temeritate, inexplicabili calamitate. Malum est videre  
 mulierem, pejus alloqui, pessimum tangere. Vis ergò  
 tibi consilium?

*Despice fœmineum cultum, ne respice vultum.*

## 8. DIES JUNII.

Quotiescumque dulci voce mulcetur audi-  
 tus, ad turpe facinus invitatur aspectus.  
*Valerian. Cemel. Horril. 6.*

Cautela I. **U**T exiguo distant loci spatio  
 circa au- oculi, & aures, sic eidem ex-  
 ditum. ponuntur periculo. Facilis est  
 transitus ab aspectu ad auditum. Ne malè audias, ca-  
 ve mala audire. Ut igitur benè audias, neganda est  
 audientia illis, qui proferunt verba impudentia,  
 itemque illorum sermonibus, qui detrahere de alio-  
 rum vita gestiunt, & nominis gloriam imminuere sa-  
 tagunt. Nihil tamen auditur ut frequentius sic nec  
 libentius in triviis, in tonstrinis, in conviviiis, in tugu-  
 riis pauperum, in palatiis nobilium, in sacrosanctis  
 quoque templis, in curribus, in navibus, vapulant  
 omnium aures convitiis, & contumeliis, & calum-  
 niis. Tanta hujus mali libido mentes hominum in-  
 vasit; ut etiam qui ab aliis vitiis sunt eximii, in istud  
 tamen, quasi in extremum diaboli laqueum inci-  
 dant. Sicuti ad sanos, sanctosque sermones aures o-



portet inclinare, & patefacere, ut per ipsos quasi tubos, ad animum cœlestia pronuntiata transmittantur: ita si quis vitiorum assecla, pestilensque homo accedat, ut per aures quasi per fistulas, verbum obscœnum, quasi cœnum inferat, non secus is fugiendus est, quàm ferarum illud genus, quod toxicum ejaculatur. Audientium est contumelia, illorum auribus committere contumelias. Nec caret vitio, bubulam aurem præbere linguæ in alienam famam grassanti.

**De curiositate.** II. Dum loquor de auribus, erige auribus ad hanc Plutarchi comparisonem. Is autem eorum, qui rerum infandarum commemoratio delectantur, consimiles ait portis urbium, quæ metastæ, & abominandæ vulgò habentur, per quas videlicet educuntur, qui à carnifice necandi sunt, ac piacula inducuntur, nihil verò faustum, lætum, ac spicatum, nihil quod imbutis humanitate ingenii voluptatem adferre possit. Ita sunt qui sermones de Deo, & divinis, de cœlo, & cœlestibus aspiciuntur, auditum verò ut inauspicatam animi portam, habeant longè, & latè patentem ad noxia excipienda hîc nihil excipiunt. Intrat calumnia, ut carnifex ab ænæ vitæ, quæ meritò honore, & famâ spoliatur. Eunt redeuntque plaustra obscœna inverecundæ mentis & impudorata linguæ: acroamata impuri alicuius scurræ, aut effrontis sycophantæ, admittuntur. Hæc illis hominibus unica Siren est, hæc illepida Musæ delitiis, hæc auditionum omnium suavissima. Illis fordibus oppletur mens, & carcinomatis patet, & a cervo qui quiliarum exuberat, & ore teterissimo mephitim exhalat, quo per aures aliorum animæ com-

Junius  
macule  
enda pr  
auritum  
tionem,  
di. is co  
num ill  
tis alien  
impote  
III.  
rum eos  
bis rete  
tant om  
giendo  
to mali  
præcon  
rum,  
na, sec  
melas,  
tes aiel  
latrant  
fos, &  
niente  
tes pu  
sonan  
ditos f  
cum n  
tens f  
piunt  
obfid  
ab ob  
cis re



Junius.

maculentur. Ubi aliquem videris ad improba audienda pronum, ad indecora attentum, supra lepores aurium ad capiendam alienorum morum infectionem, ad probra excipienda quæ in probos à maledicis conjiciuntur, ad turpia dicta excipienda, profanum illum hominem existima, animo à Musis, & gratiis alieno, qui ea quæ in aliis damnat, cæcâ mente, & impotenti vitio consecratur.

III. Aristo in Philosophiæ sinu eruditus, ventorum eos esse molestissimos ajebat, qui amictum nobis retegunt, ita probi viri in omni congressu eos putant omnium importunissimos, & remis, velisque fugiendos, qui quæ tecta esse oportuit, ut detractâ vento malitiæ tunicâ, in aperto ponunt, & in humano præconio detegunt. Curiositas aurium, uti oculorum, non tantum ad ea se extendit quæ sunt consona, sed absõna. Non tantum delectat audire philomelas, & alaudas, & citharas, & tibias, sed & rudentes aliellos, & grunientes sues, & ululantes lupos, & latrantes canes, & coaxantes ranas, & sævientes urfos, & rugientes leones, & mugientes tauros, & hinnientes equos, & barrientes elephantes, & gementes pueros, & altercantes aniculas, & undique personantes stultorum risus, & ineptissimos, & inconditos fletus, & confusas voces. Beatæ illæ aures, quæ cum medium silentium continet omnia, & omnipotens sermo de regalibus sedibus venit, eum percipiunt, & in se excipiunt. Cùm Hannibal Saguntum obsideret, missique Româ Legati eum admonerent, ab obsidione desisteret, respondit illudendo, se bellicis rebus intentum contra hostes, non posse audire eos.

E e 4

Sic



Sic multi, strepitu mundi tumultuantis occupati, in  
forensi illo fremitu, pravis affectibus inter le rixas  
tibus, & digladiantibus, non audiunt instinctus dno-  
nos, qui tanquam Legati è caelo mittuntur, ut des-  
stamus dimicare contra Deum, & tamen tum ma-  
mè, juxtà illud,

*Dum vox dia sonat, caelestia munera donat.*

## 9. DIES JUNII.

Optimus odor in corpore, est nullus. *Seneca Epist. 10.*

Odoratus. I. **P**ostquam de auditu, nunc par-  
ca de olfactu. Ob tres causas  
adhibenda est cautela circa  
hunc sensum. Prima est, quòd omnis illa voluptas  
quæ percipitur ex dulcium aromatum usura, & ac-  
jucundam sensuum oblectationem admovetur, est  
frivola, par levibus fumis, quam motus auræ exigua  
ventulique avehat; cui proinde intemperantiùs li-  
hiare, sit genus inanissimæ stultitiæ. Utpotè cupi-  
possessio est volatica. Quàm igitur damnanda est il-  
lorum vesania, qui immodicà, & insolenti pecunie  
profusione opes suas non ostentare, sed perdere ca-  
piunt, ut voluptate ex fumo fragranti, momento per-  
fruantur. Turpe est ergò viro prudenti, si unguen-  
tis oblitus, & rosis coronatus incedat, estque argu-  
mentum certum, quòd hujusmodi hominem ne-  
dor quidem virtutis attigerit. Quid probrosius vi-  
ro, quàm exhibere palàm exquisitum corporis cultum,  
à lineis amiculum, è serico vestem, & quæ sit  
elegant



elegantia pompam, qua velut amator è comœdia, comptus & venustulus, fragrans ubique unguenta, per forum & plateas volitet. Nonne talem ejectum è palæstra, meritò amandabis ad gynecæum, ut illic expiret unguentum? Miles es Christi, armare, non comere; athleta es generosus, vir sis, non comptula pupa, & stibio delibuta.

II. Altera causa est, quod afflata illa odorum suavitas, mirabiliter animum emolliat, effœminet, & inducat petulantis cujusdam lasciviæ sôcordiam, virtutum nervos succidat, robur animi infringat. Est enim fœminatam fragrare musco mure, & tantum non meritoriarum puellarum. Hinc D. Cyrillus Hierosolymitanus suffimentum vocat (a) *voluptatis inescavum*; ut Veneris hamum, nequitia fœmitem, luxuriæ delinimentum. Bini id probabunt auctores, alter prophanus, alter sacer, Homerus & Salomon. Ille cum Heroum mores effingeret, nulli odorum fragrantiam tribuit, nisi Paridi, quem elumbem delitiis pingit, & muliebri venustate formosum, delibutum unguentis, coronatum rosis, aureum puel- lum, totum à Venere, & Cupidine mulieriosum, quæ Regio juveni labes, ad sempiternam nominis infamiam iniusta est. Salomon cum meretricem pingit non tam muliebri pompâ comptam, quàm multiplici lasciviæ choragio instructam, & pandectis veluti elegantiarum, & venustatum, quibus erectos, & generosos aliàs adolescentes illaqueare possit, non o- mittit odores, ad fragendû mentis robur accommo- dados. (b) *Aspersi*, inquit, *cubile meum*, vel ut alii ver- tunt ex Hebræo, *Cubile meum odoratum reddidi*

E e 5

myr-

(a) *Cat. 12.* (b) *Prov. 7. 17.*



*myrrha* & *aloë*, & *cinnamomo*. Spectant itaque ad Venis amafios, & discinctos nepotulos odoris suavitatis, & diversa thymiamata, & Cyphi, & muscus, & peregrini muris pelliculæ, & totius Arabiæ sufficiens

III. Postrema causa, cur rejicienda sit hæc delibata ex odoribus suavitas, petita est ex sacris oraculis, & Numinis autoritate. Olim cum Judæi solent essent moribus, atque in omnia genera deliciarum effusi, adeo ut odorato vino uterentur, & unguentum suaviter olentis luxu nimio redundarent, pœnam illi voluptati denuntiat scelerum vindex ore Isaïæ: (a) *Et erit pro suavi odore fœtor*. Vatablus vertit: *Erunt pro musco tabes*: Veniet aliquando tempus illud, cum illa caro in puticulos, & saniem, & pus, & tabem dissolvetur, ad quam oblectandam istæ aromatum delicatæ voluptates investigantur: sentient illi deliciarum aucupes, mali odoris mephitim, atque inœnium fœtorem, qui curiosè musco perfundunt, & sudariola, & chirothecas, & genus omne vestimentorum. Justissima est hæc pœna, ut dum compositio suavis fragrantia impensiore studio exercetur ad petulantiam vitæ, atque luxum, tunc meatus sevens illi sensui oppoletur pute, & compleatur pulvere fæculento. Itaque in corpore optimus est odor, nullus, nisi in animo è virtutibus haustus. Breviter, sed nervosè Paulinus: (b) *Operum, non odorum fragret unguentum*. Non unguenta ex Arabia, sed aromata è cœlo petamus, & connitamur eos odores habere, quos David in Deo devotis hominibus commendat. (c) *Myrrham & guttam, & cassiam domibus Eburneis afflatam mirificæ suavitatis emittant*.

(a) *Isa. 3. 23.* (b) *Epist. 4. ad Server.* (c) *Psal. 44.*



tant. Hinc cui allucet è cœlo divinæ gratiæ splendor,  
huc invisus est exquisitus in corpore odor. Suffra-  
gatur mihi Poëta, dum ait:

*Est animo luscus, cui fragrat corpore muscus.*

## 10. DIES JUNII.

Hoc me docuisti, ut quemadmodum medi-  
camenta, sit alimenta sumpturus acce-  
dam, *S. August. lib. 10. Conf. c. 31.*

**Gustus.** I. **U**tinam sub tanti Doctoris ma-  
gisterio docemur accipere fer-  
cula ut pharmaca, & de-  
doceremur pulpâ, & pingui aruinâ corpus farcire!  
Gustus, est inter sensus sensuum infimus, totus ma-  
teriæ immertus, & communis cum belluis. Nulli  
minus gustant, quàm suavis sit Dominus, quàm man-  
cipia ventris, quàm delicati illi voluptatum aucupes,  
lurcones, & liguritores asoti, qui Sybariticas cœnas  
odorantur, magisque suspiciunt palatum quàm cæ-  
li palatium. Quid magis probrosum homini, qui  
invitatus est ad cœnam illam magnam, qui toties  
manducat panem Angelorum, cui proponitur gu-  
standum illud cœleste manna, quod in se continet  
omne delectamentum, indulgere suo genio, quo he-  
bescat acies ingenii, quàm in cibum, ac potionem  
sele totum effundere, lautitiarum genus omne con-  
sectari, ventris suavitatibus inhiare, in patinas men-  
tum, ac mentem avidissimè immittere, gustum om-  
nem in cupediæ appetitione ultrâ modum ex-  
plere, conviviorum sociamenta, dulcernque trage-  
matum

matum



matum varietatem, studiosè investigare; Illi scilicet, corporis colluvione stupidi, fracti epulis, et quem opimi boves vicos obambulare, & omnia rebus contaminare; (a) quorum Deus venter est, quos nullos sibi magis Deos cupiunt esse propitios quam patellarios.

II. Qui hujusmodi humilium deliciarum sumptuosi, nunquam illi solis, aut lunæ magnitudinem, vel astrorum domicilium, aut errantium stellarum lucidos globos, perenni motu reciprocantes, sed cum illo de comœdia parasito, culinarum fumos, & cetera rem curiosissimè observant. Quorum palæstra, culina, gymnasium est triclinium, quibus lances sunt enses, ollarum strepitus est lituus: qui tunc tantum sudant, dum manducant, & potant, quibus nullus est frequentior locus, quam focus, ubi laborat coquus. Tales merentur expungi ex albo hominum, & adscisci in classem pecudum. Ut gustes amaritiam, quæ oritur ex indulgentia gustus, hæc tecum expendit. Gustus etiam cum vorat, voluptatem tantum pertransennam libat, ita ut tantum sit in transitu, & momentanea: cujus tamen remanent reliquæ gravillimæ, gravedo capitis, indigestio, eructatio, crapulæ exhalatio, hebetudo mentis, nausea stomachi, deinde morborum iliades, ex illis dolores, ex doloribus tandem immatura mors. Ut meritò dubites, pluresne sustulerit in aliena manu hostilis gladius, an in propria cantharus. Deinde illa ipsa, quæ in cursu est voluptas, nisi adhibeatur modus, fatigatur: nimirum currit, & nisi interpellatur, ut respiret, marcescens languida; si continua est, nulla est. Eò jam processit

(a). Psal. 3.



inglurves nostra, ut voluptatem omnibus etiam peccatis communem, novis artificiis irritet. Nulla jam est voluptas, quam non corrumpit ars; etiam pro ventre est disciplina. Jam tam sumus delicati, ut pudeat sine ingenio indulgere genio.

III. Non satis est cibum coquere, oportet & pingere. Hinc quædam auro, quædam argento illinuntur. Quid palato cum colore? In aromatibus aliter quando raritatem pluris æstimamus, quam suavitatem in ferculis, sumptum magis, quam saporem. Ità ipsas voluptates naturales damnavimus magnis pœnis, ut jam non liceat eas percipere sine pretio, sine gravibus impensis: sine lancibus argenteis non sapit cibus: insulsum est sal, nisi fuerit in artificioso salinatio. Vinum non pluris æstimatur, quam aqua, nisi bibatur in gemma. Quod gratis natura dedit, sumptuolum facimus. Intemperantiam, hebetissimam voluptatem, communem brutis animantibus, nobilitare volumus ingenio, pretio, artificio. Quasi verè non æquè facilè sitim extingueret fontis aqua, pandà excepta manu, quam massicum ingenti comparatum quæstu? Ligna quæ tradis igni, annè sanus eris, si pingas, si in aures? Consumenda sunt, irritus hic sumptus est. Cur cætera quæ etiam consumis, ut esculenta, poculenta, vis corrumpere sumptibus? Jam non delectat cibus, nisi carò constet. Nulla fercula sunt chara, nisi cara, & rara. Illud tibi certò persuadeas; nullus minùs est sui Dominus, quam qui suo servit abdomini. Dictis album calculum adjicit Poëta:

*Officis menti, dans pingua fercula ventri.*



## II. DIES JUNII.

Tactus & joci , sunt morituræ virginitatis principia. *S. Hieronym. in vita S. Hilarii.*

Tactus. I. **N**unc pauca tangamus de Tactu. Hic sensus est omnium infimus, & ad fœcem, ac coluvionem materiæ proximè accedens, & remotè discedens à dignitate animi. Hinc Gregorius Nyssenus tres sensus in homine vocat belluinos, peccudum proprios, Tactum, Gustum, Odoratum qui in cœno maximè voluptatis, suo more volutantur, à quibus refuger oportet, tanquam à putri, & maleolenti cadavere. Idcirco in hoc sensu moderanda summa est cura adhibenda, quod latè pateat illius vis, & in vita usus, undè infinitæ propè occasiones eveniant suscipiendæ labis, ob rerum variarum contagionem. Hinc si tactus voluptas hominem afflexerit, incipiet æstu libidinis furere, amoreque torum accedetur. Idcirco existimant magni viri, nullum esse in homine vehementiorem sensum, nullum magis in scelere impotentem. Est enim quasi leno libidinis, qui & florem pudicitiae facillimè contaminat. Et quamvis leve quidpiam initio videatur, emergit tamen, seque magis deinde accendit voluptas, & in corporis ipsius possessionem invadit. Sicut enim miles dum in præsidium ducitur, si præfectus legionis liberum ingressum in alicujus ædes inveniatur, illi quidpiam armorum suorum, puto lanceam, gelearum



que, aut scutum ponit. Et licet ob negotia egressus, foris esse dicatur, potestate tamen intus est, quod armis in eo loco politis jam propriam, sui que juris domum fecit.

II. Sic voluptas, vitiorum quasi legione stipatus, si per sensus irumpere in animum possit, & veluti in aspectu lanceam, in auditu galeam, in manibus scutum suum defigere, tamen à corpore abesse flagitium videatur, scelusque voluptatis, tamen sibi domicilium libido metata est, nec aberit diu, cum in sensibus velut in ædium vestibulo, arma repositur. Imò cavendum est ut non modò non corpore corpus, id est carnem, præsertim mulierum contingamus, sed ne res quidem alias, quæ proximè illas attingunt, cum in illis quoque fomes sit libidinis, scintilla voluptatis. In vestitu, in chiroteca, in sudariolo delitescit Cupido, telum igneum ferens; tetigisse, uri est. Nulla stупpa vicina igni tam subito incenditur. In momento aridum jecur est. Tange muliebrem stolam, aut mitram, aut tenues vittas, statim ut è cæsto Veneris vis veneni prodit, seque in venas, atque pectus insinuat, atque ita vitæ arcem mors subit. Hinc tetigisse Virginis vel strophium, est virginitalis, vel morituræ præfagium, vel morientis principium, vel mortuæ indicium. Tactæ aconito carnes, necant protinus illum qui gustaverit. Sed nullum est aconitum, quod celerius tactu animum perdit.

III. Tactus quàm sit præfens periculum tangenti, voluit toti posteritati manifestum reddere sui jam morientis exemplo Ursinus Presbyter, teste Magno Gregorio, Is vitam summa in severitate, castimoniaque



ni que egerat, penè in ipso gremio virtutis, atque  
 cœli educatus. Tandem morbo lethali corripitur,  
 Et cùm motu, ac calore omni destitutus, jam ani-  
 mam exhalasse crederetur, accessit illius quondam  
 uxor, cujus tactu, atque omni familiaritate, quadra-  
 ginta jam annis abstinerat, quod omne tempus in  
 sacrosanctis Ecclesiæ ministeriis, & divinarum rerum  
 commentatione posuerat. Illa dum explorat, an fla-  
 tus superesset aliquis, & vestigium animæ nondum  
 abeuntis, terigit, ut fit, ore suo hominis os atque vul-  
 tum, cùm ipsa morte luctantis. Qui mulieris tactum  
 sentiens, ardore magno collegit vires omnes, quæ  
 in corpusculo esse potuerunt, ad ea dicenda, quæ pro  
 monito salutari futura essent orbi terrarum. *Recede,*  
 inquit, *mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.*  
 Hinc disce, nullum debere sibi fidere, quod adoles-  
 centiæ annos prætervectus, jam ætatis quandam ma-  
 turitatem, constantiamque attigerit. Homo es, ideo-  
 que recusare non potes, quin possis pati humana.  
 Quid tam porrò humanum, quàm per periculosum  
 corporis tactum, labi in turpissimos animi actus.  
 Non tantùm qui tangit picem, sed qui carnem, in qui-  
 nabitur ab ea. Mihi dicenti occinît Poëta, qui illud  
 non tam è Poëtico Parnasso, quàm è cœlesti para-  
 diso accepit:

*Præcessit tactus? sequitur mox impius actus.*



## 12. DIES JUNII.

Nihil citius hominem pervertit, quàm alter homo. *Oleaster in Numer. 33.*

Consortium  
pravum de-  
clinandum.

I. **U**T fit tibi cum virtute com-  
mercium, cave habeas cum  
virtutis inimicis contuber-  
nium. Nihil enim homini nocentiùs est homine :  
ideoque nulli tibi magis sunt vitandi, quàm qui sunt  
prave vitæ. Ut homo homini est lupus, sic pra-  
vus socius idem est socio, quod avis viscus, quod  
piscibus hamus. Qui cum lippis assiduè degit, fit  
lippus, & qui juxtà claudum ambulat, discit sub  
claudicare : serpunt enim ut corporis, sic & animi  
contagia, & inficere suâ vicinitate proximos solent.  
Serpunt vitia, & transiliunt in vicina. Nocent non  
modò contactu, sed conspectu. Minuta quædam  
animalia ut sensit Phædon, non sentiuntur, cum  
mordent. Tumore solùm morsus indicatur, nullo  
in ipso tumore, apparente vulnere. Idem accidit in  
conversatione improborum, qui non videntur no-  
cere, sentiuntur nocuisse. Incendent libidines tuas a-  
dulterarum consortia. Avarus corruptor, sævus,  
fraudulentus, si propè te sint, mox intra te sunt. Ut  
quædam ad contactus corporis vitia transiliunt, ita  
animus mala sua proximis tradit. Ebriosus contu-  
bernales in amorem Bacchi traxit, impudicus in Ve-  
neris retia pellexit. Avaritia in proximos, virus suum  
transtulit.

Pars II.

Ff

II. Re-



II. Rerum natura sic est, ut quoties bonus con-  
 jungitur malo, non ex bono malus fiat melior, sed et  
 malo bonus fiat deterior. Ante ignem consistens  
 sis licet ferreus, tandem dissolveris; sic proximo  
 periculo, est proximus exitio. Semper autem est pro-  
 ximum periculum, ubi est malum consortium. Hoc  
 melius est habere malorum odium, quam consor-  
 tium; quia facile fit socius sceleris, cui est societas  
 cum sceleratis. Miraris? vim præcepti obtinet fre-  
 quenter aspici, frequenter audiri. Malus enim, non  
 tantum ut mala facias commendat, sed mandat, et  
 semper indulget suo genio, si tibi sit convictor, pa-  
 latim enervat ingenium, emollit animum. Cum illi  
 igitur conversare, vel qui te facturi sunt meliores  
 vel quos tu potes facere meliores. Antè circumspici-  
 endum est, cum quibus edas, & bibas, quam quæ  
 edas, aut bibas. Scitè admodum B. Hilarius: (a) *Habemus*  
*laqueos in hominibus malæ adhortationis, per-*  
*culosi exempli, & elicitæ necessitatis, cum nos ad vici-*  
*ptatem adhortantur. Vocat laqueos elicitæ necessi-*  
*tis, quod propter vim potentissimam exempli, & illi-*  
*cium malæ consuetudinis, pereundi propè necessi-*  
*tem adferant, scelerisque imitandi.*

III. Sed inter distinctos nepotes, illi ut scopulis  
 remis, velisque sunt fugiendi, qui dejectis boni  
 pudoris claustris, molestiæque repagulis, non modo  
 in sceleribus delectantur, sed de iis sceleratè glori-  
 antur, nudaque fronte planè jam effrontes, sese jacti-  
 tant, & cum flagitiosè peccaverint, tum se putant  
 quandam turpitudinum palmam consecutos. De  
 illis loquitur, qui olim cum illis loquebatur, S. Augu-  
 stinus

(a) In Psal. 140.



gustinus, cum ait puduisse eos minoris dedecoris, quasi esset decus, commisisse scelus, dedecus, non esse scelestum: tum addit de se, (a) *Fingebam me fecisse, que non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocenter, & ne vilior haberer, quo eram castior.* Quid probrosius, quam ex flagitiorum infamia, aucupari famam, quam ex facinoribus ingloriis, venari gloriam? Horum proprium est impudenti procacitate, sanctissima quæque irridere, elevare divina judicia, monita sapientum aspernari, odisse monitores, illudere aliorum verecundiæ, damnare Bonitatem, condemnare bonos. Et quoniam placuit semel graviter esse impudentes, non jam cunilis, sed apertis januis omnes intromittunt voluptates, & malè agendi consuetudine, non cursu feruntur in malum, sed impeturuant, (b) *Quibus ait D. Paulinus, dulce est quod amaram, & turpe quod castum, & hostile quod sanctum.* De hujusmodi loquitur togæ decus Seneca, quos & locat in fastigio quodam infœlicitatis. *Tunc consummata est infœlicitas, ubi turpia non solum delectant, sed placent.* Tales ne Deo displiceas, non tibi placeant. Quod facies, si morem geras suadenti; & canenti Poëtæ:

*illos devita, quos infamat mala vita.*

### 13. DIES JUNII.

Desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores sunt. *Seneca Epist. 39.*

FF 2

I. Ve-

(a) *L. 2. Confess. 6. 3.* (b) *Epist. 7. ad Sever.*



Confue-  
tudo  
prava.

I. **V**enio tandem ad illud vitium  
cui pellendo vix superest re-  
medium, ideoque hominem  
præcipitat in barathrum. Illud est prava in prava  
consuetudo. Magnum illius est robur, quod secum  
trahit quæcumque robusta, quæque secum quan-  
dam quasi necessitatem vehit, ideoque vocatur à  
Augustino, (a) *Secunda, & quasi affabricata natura*.  
Primum igitur, frequentia peccandi, potentiis animi  
vis quædam fit. Unde assuetudine scelerum intro-  
lectus circà divina obfuscat, voluntas enervatur,  
appetitus distorquetur, libertas constringitur: non  
amplius singula tam expedite suo munere fungun-  
tur; simillima horologio, quod rotulis ferrugine, aut  
longo usu exesis, ac vitiosè ambulatibus, ordinem  
servare non potest. Hinc consuetudo vitiorum ubi  
semel invaluit, pro imperio est, & legem facit:  
tardè & difficulter eruitur, quod altè jactum est  
Clavus eò firmitus in hæret, quo fixus est profundius  
à gravi manu, malleoque. Quisquis à puero ex-  
cuerit histrionicam, etiam decrepitis perget ludere,  
& ineptire, & inter seria joculari. Si quem post can-  
nas, venationis, aucupii que studium tenuerit, etiam  
canus quoque ludet inter venaticos canes. Nemo  
terrenis annis assuefacit manus turpi otio, ventrem  
epulis genialibus, gulam Herculis poculis, corpus  
animumque fœmineis delitiis, quem non eadem  
deveza ætate suaviter afficiant.

II. Argumento sint Hebræi, qui quia Ægyptiorum  
cibus ab infantia erant assuefacti; puta non tamen

(a) *L. 6. de Mas.*



tum carnibus, & piscibus, sed levissimis quoque edulibus, neque uni fastiditis; peponibus, cæpis, porris, allis, cucumeribus; hinc nauseanti jam stomacho ipsum delicatissimum manna desipuit, quod in magnum famis solatium, majus singularis benevolentiae argumentum, maximum ingentis amoris testimonium, errantibus per desertum 40. ipsis annis quotidie Deus è cælo depluebat. Audi murmurentes. (a) *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Itane verò delicata vobis gula est, ut panis ille, cui cælum furnus, ignis amor, pistor Deus fuit, nauseam faciat? Ille inquam panis, in quem verissimè dixeris omnium ciborum cupædias, deliciasque confluxisse? Sapiebat enim omnia, quorum gustum humana cupiditas desiderabat. Jamque nihil usquam, unquam regis mensis illatum fuerat ex aviariis, piscinis, culinis, cujus si vellent, delicias non perferentesceret vilissimus quisque è plebe agaso: solum, unicumque desiderium fecit, ut manna illud saperet, & electissimos pilces, & omnis generis carnes, gallinas, & pavones, & phasianos, & perdices; denique totum illud, quod sive rarum in cibo, sive pretiosum in condimento, sive artificiosum in coquo, orexin concitare poterit. Et erat sane per jucundum sine magnis impensis, unumquemque in ferculo uno, infinita reperire: in unico Manna omnes omnium menserum lautitias reperire, jamque velut Regem, regiè, hoc est suaviter, pretiosè, dapiliter supra omnes Heliogabalos Antonios, Cleopattas, & quidem in victu parabili, unoque pane.

III. Et tamen pulcherrimum hoc ciborum

Ff 3

omnium

(a) *Num, 11. 4.*



omnium, saporumque compendium manna, delecto  
 majore insolentiâ, an supercilio, fastidivit Hebræus  
 populus. Nam quoties in mente venêre pepones,  
 porri, alia, cæpæ; jam hoc præ illis viluit. Con-  
 tuitudo usque adeo eorum corruperat palatum. Iden-  
 tunc multis est ingenium: nauleant divina, fastidium  
 cœlestia, virtutem excutiunt, pietatem oderunt. De-  
 ctantur interim humana, expetunt terrena, vitia  
 aucupantur. Et quid hoc aliud est, quàm turpiter  
 à Manna transire ad pepones, & cucumeres? Quod  
 sicut nihil habent soliditatis, ita documentum  
 vanitatis nunquam satiaturæ cor humanum: cum  
 incipiunt malæ illecebræ hominem afficere, jam spe-  
 ctant ad finem, in ipso usu sui pereunt: fluxi sunt pe-  
 pones, ac cucumeres: nihil conferunt præter lachry-  
 mas ex oculis provocatas, & fœtentem ex ore hal-  
 tum, gravemque totius corporis animum. Cave er-  
 gò ne vitia fiant in te mores; opus erit longâ morâ,  
 ut illa semel radicata extirpes. Ut sapias in adulta  
 tate vir, assuesce à puero contemnere puerilia. Quod  
 ut præstes, illud meditare, quod Poëta est tenui  
 dulatus avenâ:

*Quod puer assuescit, senior dimittere nescit.*

## 14. DIES JUNII.

Errorem definire, est facilius quàm finire.

*S. August. contra. Academ. l. 1. c. 4.*



Junius.

Ne cespites  
in via vitæ,  
cavendus est  
error.

Tessera.

455

I. **H**ic porro ut omnibus est  
communis, ita & cuilibet  
singularis. Hinc facilius est  
ejus naturam definiendo exponere,  
quàm modum finiendo ponere. Ne tamen erres in  
cogitatione erroris, hîc nihil est aliud, quàm falsi  
pro vero approbatio. Quid jam usitatius, quàm  
errare? Hoc tamen est vulgare, ut verè non sit pru-  
dentis errantes odissè; alioquin quisque sibi odio e-  
rit. Vis videre insignem quem omnes errent erro-  
rem? Si omnes omnium terrarum Academia, Curia,  
Senatus, Tribunalia, in quibus æquissimi quique ac  
prudentissimi concurrerent Judices, Arbitri, Præto-  
res, conspiranti suffragio abjudicarent alicui reo  
causam, & jam reus criminis convictus, & is quidem  
stolidè baldus, & insigniter reprobus, unus re-  
pugnaret sententiæ omnium, velut iniquæ; cui  
potius assentieris, uni illi, ac tantillo, an tot, ac  
tantis? Cur credis proprio tuo amoris, hoc est ipsi  
errori, potius quàm Deo, Angelis, Doctoribus Ec-  
clesiæ, Philosophis Ethnicis, Rationi; imò ipsi tuæ  
conscientiæ, amorem tui, ut erroris reum accusanti-  
bus, & condemnantibus, ea quæ ipse probat, & pro-  
bantibus quæ improbat? Sic judicare, nunquid est  
errare?

II. Possentne fingi gravior error, quàm credere  
falsum, quod ipsa Veritas judicat verum? quod no-  
vem Angelorum chori condemnant ut malum,  
quod omnes sanæ doctrinæ Professores refellunt  
ut noxium, quod omnes moralis doctrinæ Magistri  
refutant ut impium, quod omnes sapientiæ Antisti-  
tes rejiciunt ut probrosum, quod ratio damnat ut

Ff 4

perni-



perniciosum, quod conscientia detestatur ut abominandum? Hi omnes quid aliud dicunt, scribunt, docent, clamant, inculcant, quàm amorem tui nocere tibi, non esse illi morem gerendum, esse odio prosequendum: & tu contra hunc torrentem naturam quæ omnes condemnant, absolvis, & illum non tantum omni loco sequeris, sed omni tempore obsequeris: quæ suggerit, excipis ut oracula; quæ suadet, audis ut dogmata. Et hic error eò est exitiosior, quod hic Impostor nobis non tantum est proximus, sed intimus. Quocumque ferimur, nobiscum circumferimus. Atque ita cum ille sit refertus erroribus, sumis, & inducis erramus. Et quod caput est, illud nostri erroris proprium, ut quod nobis displicet, etiam Deo displicere arbitremur: adeoque errores qui repugnant Christi Evangelio, non tantum non cedamus, sed quasi conformes essent Evangelio, consecramus. Sic errores non tantum committimus, sed commissos defendimus.

III. Quid non audeat humana temeritas, cum in sententiam nefandi præcipitatur erroris, quam relinquare propter vanitatem pudet, & defendere contra veritatem non pudet? Procliviores sumus querere potius, quid contra ea respondeamus quæ nostro objiciunt errori, quàm attendere quæ sint salubria, ut careamus errore. Fateor, *nonnulli errare profuit aliquando, sed in via pedum, & in via errorum*, ut loquitur D. Augustinus. (a) In hac erratum est à fulco, & tramite salutis deviare. Sed hoc mirandum, imò & deplorandum, cum adeò usque homo devitet errorem, ut falli nolit, etiam qui amat fallere.

(a) *Enchirid. c. 17.*



Junius.

Tessera.

457

plerique tamen non solum sibi errent, sed & aliis erroris causa, & auctores sint. Si causam quaeris? hanc accipe: quia ad rumorem componimur: illaque judicamus optima, quae judicant non optimi, sed quae magno assensu recepta sunt, atque ita non ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Error gignit errorem. Non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, laissimè evagandi sibi viam faciunt; & ubi semel à recto erratum est, in praecipitum pervenitur. Cave excuses errorem, quia publicus est. Vix censetur errasse, qui ubi advertit, corrigit errorem.

*Erras ingressu? redeas à calle regressu.*

## 15. DIES JUNII.

Per os mortalia intrant, exeunt immortalia.

*Philo de Opific. mund.*

Lingua **I.** **N**E quae loquimur mortales, frangenda. sint, ut nos, mortalia, magna linguae adhibenda est custodia. Per os intrant cibi corruptibiles, mortuorum animalium carnes, adeoque mortalia; prospiciendum est, ut qui inde exeunt sermones, sint digni immortalitate. Non sint, ut monet Epictetus, (a) *de gladiatoribus, non de ludis Circensibus, non de pugilibus, non de cibis, non de potionibus;* seruis nugae, profana divinis, in gravissimis disputationibus stulta, & puerilia miscentes. Cave ne de te dicatur,

Ff §

(a) *Enchirid. c. 41.*



dicatur, quod Theocritus agebat de Annaximeno-  
ratione, qui dicebat eum habere *verborum quidem*  
*flumen, sed mentis gustam*. Ne sis ut Graculus garru-  
lus, nec in eodem illo hi undinum musæo gestire, &  
garrire velis. Ne sis quasi plenus rimarum, huc atque  
illuc effluens; sed contra est ut pauci, Philologus  
non ut multi, Logophilus. Sint singula tua verba vel  
uti totide n effata, sint sapientiæ pronuntiata, sint ali-  
cujus scientiæ axiomata, sint veluti moralis doctrinæ  
apophthegmata, sint velut è tripode effusa oracula,  
sint veluti mysterii alicujus arcana; sint sermones de  
igni cedro, & auro. Nihil ex ore prodeat, nisi Evange-  
lium, virtus, cælum, Deus: sint talia, qualia D. Hiero-  
nymus scribit de pia anima, (a) *Cujus canticum Psal-  
mi, sermo Evangelium, delicia continentia*, Sint hujus-  
modi, ut de te dici possit, quod de S. Honorato, Hil-  
arius Arel tensis. (b) *Nunquam in tuo ore nisi Pax, nisi*  
*Castitas, nisi Pietas, nisi Charitas: nunquam in corde,*  
*nisi horum omnium fons, Christus habitavit.*

II. Quia porrò lingua est ad lapsum proclivissi-  
ma juxtà, ac lubricissima, petulantia verborum coe-  
cendæ, vallum natura opposuit dentium, ut loque-  
di temeritas, non cordis tantum custodiã atque vige-  
liã cohibeatur, sed & quibusdam quasi excubiis, in  
ore positis sepiatur. Imò teste D. Chrysostomo, (c)  
*Ideò Deus linguam velut muro duplici voluit circum-*  
*dari. Nam dentium tegmine, & labiorum custodia*  
*continetur, ne verba improvidà garrulitate proferan-*  
*tur.* Hinc orat coronatus Vates: (d) *Pone Domine cus-*  
*todiam ori meo, & ostium circumstantia labiis meis.*

(a) Epist. 99. (b) In funeb. orat. (c) Cateches. (d)  
Psal. 16. 1.



Junius.

Petit à Deo quasi cohortem præfidiariam, excubias militares, fidos satellites ad tuendum os, atque munendum, ne quid exeat, quod non profit loquenti, vel obsit audienti. Lingua cum osse careat, quo volubilitas ejus sistatur, & nervo, quo ad stringatur, fit ut loquenda nonnunquam taceat, & tacenda sæpius loquatur. Inter tenera tenerrimum, inter inquieta maximè inquietum, inter periculosa membra periculosissimum est lingua loquax, ut vitæ, & mortis receptaculû. (a) *Mors, & vitam in manibus lingue.* Deus immortalis! Tantumnè thesaurum, quo nullus in terra pretiosior; tantas divitias, quibus nullæ majores; tantumnè bonum, ex omnibus unum unicum, inò omnium bonorum divinitus nobis concessorum primum, vitam nempe in linguæ potestatem sitam esse: Itaque quod janua ædibus, hoc præstat os hominibus. Quapropter ante os tanquam januam domus nostræ, stat vita ut abeat, & mors ut introeat. Quantum igitur times mortem, quantum optas vitam, tantum æstima & linguam; quæ ad bonorum optimum, vitam, ad malorum pessimum, mortem, est janua.

III. Quid quod lingua sit interpres mentis, ut propterea nihil sit difficilius quàm cognoscere stultum non loquentem. Quapropter cum ad Socratem juvenis quidam fuisset adductus, ut in suorum illum gregem rejiceret, atque in ejus schola doceretur, & adolescens ille ut peregrinus, & verecundus, loqui apud Magistrum vereretur, *Loquere,* inquit, *amice, ut te cognoscam,* vel ut alii, *Ut te videam, aliquid eloquere.* Nō enim ex gestibus quos quis præ se fert, sed ex oratione vel bona, vel mala, quæ profert Socrates hominem vult cognosci. Quia nulla sui parte magis homo

(a) *Prov. 18. 21.*

qua-



qualis sit, facilius deprehenditur, quam sermo. Qualis enim quis fuerit in factis, talis comprobatur in verbis. Cæterum, multis nimia linguæ licentia fuit ruina. Quia ut nulla pars corporis ad nocendum promptior, sic nec ulla est ad frænandum difficilior. Scitè igitur dicit Gellius: *Utinam muti omnes homines essemus, minus improbitas instrumenti haberet.* Cæcilius accinit Fabius: *(b) Mutos nasci, & egere omniversione satius fuisset, quam providentia munera in mutos perniciem convertere.* Maneat igitur tibi altè mentis repostum, illud D. Bernardi divino afflatu pronuntiatum oraculum: *Verba bis ad limam, semel ad vitam quam.* Adeò vera est hæc Poëta sententia;

*Pauca loqui, sua verba coqui, vult providus; & quæ  
Talia consuescit, semper cum laude senescit.*

## 16. DIES JUNII.

Cesset voluntas propria, & infernus non erit. *S. Bernard. serm. 3. de Resurr.*

Voluntatis I. propria mala.

**Q**uis non putaret se confectum ad ipsum in hac vita felicitatis fastigium, qui certus esset se post hanc vitam evasurum, non modo tartarum, sed purgatorium. Imò quis non censeret se digito tangere cælum, qui posset ex rerum natura tollere orcum; & pro suo arbitrio extinguere flammam illas perennes, æternum ardentis in terra cælestro, æstuarii? Quantum ad te attinet, quod optare facere potes abnegatione tuæ voluntatis. Mors pro-

*(a) Gell. 18. (b) Fab. c. 4.*



Junius.

præ voluntatis, est fons omnis voluptatis, Plus contra tibi officit propria voluntas, quàm omnes junctim inferi, & omnes inferorum dæmones. Quia nulla est vis dæmonis, nisi ab illa adjuta, quæ nobis valeat incommodare. Illa nos hostibus nostris primam prodit, deinde tradit, denique perdit. Nisi illa repugnaret, malum omnium nullum esset, quod nos turbaret. Illa ipsa denique voluntas tam multiplicium malorum, tormentorumque, quotquot reperiri possunt genera, & classes omnes fabricatur tam in hac vita quàm in altera: Nulla est crux, quam non architectatur, nullus qui animum pungit aculeus, quam illa non infigit: Nulla in conscientia est furia, quam illa non immittit; nulla iracundiæ fax, quam illa non accendit: nullus in corde dolor, quem illa non parit; nullus in spiritu languor, quem illa non gignit: Nullum denique quod homo patitur malum, cujus illa non sit auctor.

II. Si te non moveant propriæ voluntatis, dum illi obsecundas, mala, moveant quæ producit, dum illi renuntias, bona. Nonne plus est relinquere voluntatem suam, quàm domum, vel agrum? quia plus est se relinquere, quàm sua? At qui reliquit domum, vel agrum, centuplum accipiet. Sic qui relinquunt voluntatem suam, ut sequatur divinam, plus centies accipiet, voluptatis, quam illi obsequendo. Si cui Deus eam impertivisset fœlicitatem, ut quidquid vellet, haberet faciendi potestatem, adeoque quidquid vellet, posset id exequi, & pro libitu consequi, essetque prætereà de hac sua potentia, & fortuna securus: eam tamen existimo, minorem quàm ejus, qui nulla in re vellet connivere suæ voluntati,  
sed



sed in omnibus Dei causa abnegaret. Ratio in confesso est. Qui suæ indulget voluntati, cum illa sit humana, nequit frui voluptati alia, quam humana; quæ verò Dei se voluntati subicit, is participabit voluptatem divinam. Ingens homini est gaudium, sequi voluntatem propriam, quæ est fons omnis tristitiæ, quale erit, sequi divinam, quæ origo omnis lætitiæ. Idem est Deo voluntas, & voluptas, quia immensum est Deo voluptas id facere, quod dicitur ejus voluntas: quisquis ergò semper sequitur Dei voluntatem, necesse est semper sibi habeat comitem voluptatem, & hanc innoxiam, puram, defœcatam: utpote cujus patria est cælum, quia ibi nascitur, Pater Deus, qui ab ipso gignitur.

III. In elementis aliud est motus ad locum, aliud quies in loco, in cælo idem est Lux, & ardor in igne duo sunt, in sole, & stellis idem. Sic voluntas, & lætitia duo sunt, in Deo unum. Quantum ergò tibi est desiderium percipiendæ voluntatis, tantum tibi sit studium adimplendæ divinæ voluntatis. Tunc gaudebis in Domino semper, nunquam mœrebis, quia nunquam non tibi cuncta venient ex toto. Imò non modò nunquam in quocumque rerum eventu mœrebis sed semper etiam gaudendo mœrebis. Quinam magis circumfluunt delitiis, & exuberant omnium gaudiorum copia, quam qui in cælis ævo sempiterno fruuntur Beati? & quinam tamen minus suæ obsecundant voluntati, aut magis obtemperant divinæ? Tu ergò candidate cælestis gloriæ, qui ambis frui cælo, quidni hîc voluntati tuæ renuntias in terra? Prælude ad illam gloriæ, abnegando tuam voluntatem. Tibinè erit in terris seges tristitiæ, quod



Junius. est beatis in cælo seges immensæ lætitiæ, sequi voluntatem Dei? Eja jam nunc incipe facere, quod facturus es semper per omnem æternitatem, si felicem illam consequaris. In perpetua illa felicitate nunquam exequeris voluntatem tuam, semper divinam: fac hîc aliquando, quod olim facturus es semper. Fac hodie propter Deum, quod gaudebis te fecisse, quamdiu erit Deus. Tua ergò voluntas ejus voluntati in omnibus fasces submittat. Itaque

*Dic, ipse ut valeas, nolo, voloque vale.*

## 17. DIES JUNII.

Multi sunt, quos magis puderet in oratione fecisse barbarissimum, contra regulam Prisciani, quàm protulisse mendacium in suo sermone, contra regulam Christi. *S. Richard. de S. Viêt. in Benjam. c. 46.*

Respectus I. **H**ic aculeos exero in pudorem humani planè barbarum, qui non in spem. lingua quidem Tulliana, sed in vita Christiana est maximus barbarismus; & quia despecto Deo, respicit homines, vocatur ab Ascetis; Respectus humanus, qui Dei est despectus prorsus inhumanus; quia cogit abstinere ab eo, quod vel Dei lex imperat, vel ratio suadet, vel officium monet, vel conscientia jubet. Hæc (ut utar verbis Sancti Chrysostomi)

(Chrysostomi)



softomi) (a) diabolica timiditas, & satanica reverentia, multos agit in precipitium. Qua in re multum pollet amicitia illa inimicissima; cum enim amicus ureget, ut aut fidem fallat, aut justitiam violet, aut commessantium cætum adeat, & se in vinum ingurgitet, videas illum pudore impudenti, dum offendere timet amicum, non recusare, quo minùs offenda Deum, & honestatem prodat; & id facere, quod leges omnes humanæ, & divinæ prohibent. Certè, cum injusta, & impia flagitantur, non audere negare, est quasi Christum abnegare; & est argumentum humilis, & abjecti animi, & cereæ voluntatis, quàm quilibet pro arbitrio suo in partem omnem torqueat, & velut in pompa circumducat. Cùm pudor ille inaspicatus, aditum semel vitio aperuerit; innumeræ deinde fraudes, ac pestes subito exoriuntur, & noxæ multæ, ut furia concitata volitant, quæ virtutes omnes labefactent.

II. Cùm talis ab amico malæ fidei, atque irreligioso invitabitur; ut diebus festis Christiani hominis officium, & divina mysteria contemnat, jejunium violet, de hominibus Deo sacris, deque cælitibus ipsis, contumeliosissimè loquatur; cum in furi, aut perjurii societatem vocabitur ad tollendas injustas opes, aut struendam innocenti calumniam: si præsertim qui rogant, aut necessitudine sint conjuncti, quæ pelliciendi vim habet non exiguam, aut potentes, & gratiosi sint apud viros Principes, statim dictum citius assentietur. Quid te pudet ea nolle facere, quæ oporteret te pudere vel cogitare? pereat malus pudor, ne tu malè pereas. Tum maxime pendendum fuit, cùm pudenda faceres, & æternam

(a) Serm. I. de divers.

Junius  
ignomi  
culiselu  
mz est  
si quis r  
thanas;  
sica, arm  
operum  
tur. O i  
templis  
convivi  
nibus h  
aboletu  
averti à  
to, & ar  
Deum a  
III.  
manis r  
nis, pr  
divitiis,  
contend  
objiciam  
prodire  
nus acce  
riam, in  
homini  
ram, ut  
ribus lo  
mero er  
bus, Ch  
noltram  
fces sub  
doctrin  
Pars



ignominiam vindicanda : pudere autem nunc in maculis eluendis, & concilianda Numinis amicitia, summa est dementia, & præpostera verecundia. Hinc si quis tortè pietatem impiè irrideat, & virtutes Christianas; animo commoventur, remittunt pia proposita, arma innocentia deponunt, è corona bonorum operum plurimos sibi avelli, & decuti flores patiuntur. O inauspicatam hanc verecundiam, deferitur in templis piè precantium religio; domi modestia: in convivis, vini moderatio; in sermone, decor; in actionibus honestas; Sacramentorum laudabilis usus aboletur. Hoc est indignè Christum erubescere, & averti à parentis optimi reverentia, ob linguam è luto, & argilla fictam, & stygio imbutam veneno, & in Deum armatam.

III. Caveamus illa, quæ à Christo traduntur, humanis rationibus oppugnare; ut si remittendis injuriis, prætermittendis voluptatibus, contemnendis divitiis, honoribus, delitiis aditum in cælum aperiri contenderit, non repugnemus, neque illud continuo objiciamus: Quo ore in conspectum hominum prodire audeam, si tantum in existimatione mea vulnus acceperim? si tam insigniter mihi factam injuriam, inultam, impunitamque dimittam? Quid illi homini opus est vita, qui non summam dederit operam, ut semper inter suos procedat, divitiis, & honoribus longius? Etenim nullo hîc in loco, nullo in numero erit. Non, inquam, his, aut similibus rationibus, Christi dicta refellamus: verùm ius assensionem nostram parati sumus præbere, & ingenii nostri fascis submittere: nec assentiendo improbis, Christi doctrinam improbemus, nec flammis improbi. Si-



mus memores illius, quod Dei instinctu pronun-  
 vit D. Zenon: *Sine sacrilegio non potes placere sacro*  
*go.* Quisquis placere Deo cupit; impiis displice-  
 necesse esse. Quid! plurisne tibi erit, ut Deo displiceas,  
 unius humunculi rauca vocula, quam ut  
 placeas, ratio, conscientia, Dei minæ, pronun-  
 ctorum Patrum monita, Sapientium consilia, ter-  
 cælestis curiæ iudicium? Tu times sperni ab hominibus,  
 qui sæpè est servus peccati, mancipium diaboli,  
 non times sperni à Deo? Deus ille gloriæ, & Misericordi-  
 statis, pro te tot probris, & contumeliis affecturus,  
 tu verò ne verbulum ullum, pro illo possis pati,  
 tibi hoc certum, & fixum, quod monet Poëta:

*Factum factori summo preponere noli.*

## 18. DIES JUNII.

Agrum, si mediocriter colas, possides,  
 nimium, possideris. *Sidonius. l. 8. Epist.*

Terrena  
 bona de-  
 spicienda.

I. **P**AUCISSIMI sunt, qui ut agros  
 qui ex agris proveniunt fructus  
 ex fructibus opes possidentur,  
 rimi, qui ab illis possidentur.

nimius erga seu naturæ fragilia, seu fortunæ  
 bona, affectus; est maximus in Dei obsequio de-  
 ctus. Non ad illum finem, fictus est homo, ut co-  
 rationes suas humi defixas habeat, ut magnas  
 villas ædificet; ædes in urbium morem exstruat,  
 fertas signis, atque picturis, Attalicis vestibus, at-



conchyliatis peristromatis intus ornatas, auro, argento, & omnibus iis rebus instructas; quibus redundant illi, quos vulgus beatos indigitat; quas ædes, nihil aliud Chrysostomus esse ait, nisi nidos, ex festucis, lutoque confectos. Quis non obstupescat a deo brutas hominum mentes, ut nihil aliud cogitent, inquirent, machinentur, ambiant, nisi terram, & quod est de terra? Aliquis noctes, diesque studet struendis opibus, & cumulandis facultatibus: ad quem finem? ut fabricetur sibi sumptuosum domicilium: ubi in terra, ut comparet sibi latos fundos, & ampla prædia: quo loco? in terra. Ita quidquid mens hominis versat, intellectus cogitat, cor expetit, voluntas diligit; quidquid oculus aspicit, auris percipit, manus palpant, pedes calcant; quidquid totus homo, omnibus & corporis membris, & animæ facultatibus quærit, indagat, explorat, non est nisi terra, vel de terra?

II. Unde præclare Origenes, hujusmodi homines à terra devoratos ait, explicans illud Exodi 15. 12. (a) *Extendisti manū tuam; & devoravit eos terra. An non tibi videtur terra devorare eum, qui nihil, nisi de terra cogitat; qui semper terrenos actus habet? qui de terra loquitur, terrā desiderat, pro terra litigat, in terra spem omnē collocat: qui cælum nō aspicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, ne beata ejus promissa desiderat; sed sēper de presentibus cogitat, & terrena suspirat. Talem cum videris, dicito, quia terra devoravit eum.* Nonne hoc tandem est graviter desipere, nil nisi terrena sapere? Quam sit homo totus quantus, quantus est, ab imis unguiculis, usque ad

G g 2

verti-

(a) Hom. 6. in Exod.



verticem capitis, terrenus, voluit Deus manifeste nuere, dum jubet Jeremiam, homini sic loqui : *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* Hominem tertio vocat terram. Primò, quia de terra ortus : secundo, quia in terra vivit : denique, quia in terram revertetur. Imò Deus volens ostendere, quæ sint omnia bona temporalia, brevia tempore, quæ in exigua spatio, quàm incerta possessione, dixit Ezechiel : *(b) Fili hominis, sume tibi laterem, & pone eum coram te, & describes in eo civitatem Jerusalem.* Quæ ais, Domine ? urbem tam amplam, quæ à Jeremiam vocatur ob imperii amplitudinem, *(c) Domina gentium,* ob potestatis magnitudinem, *Princeps Provinciarum,* ob ædificiorum ordinem, & splendorem. *Urbs perfecti decoris,* ob hominem multitudinem, scientiam, sanctimoniam, *Gaudium universæ terræ.* Jerusalem, inquam, & in eo tot splendida palatia, tot sumptuosas ædes, tam amplas plateas, tam sublimes turrets, tam excelsos muros, tot amena horti, in vilissimæ luti portione, in uno laterem primere ?

III. Planè, ut constet omnibus, bona mundi omnia esse tam exilia, & pusilla, ut unius lateris gratia per exiguum possint contineri : sed non tantum bona temporalia sunt vana ; sed sunt etiam salutis perniciosa, animæ periculosa. Olim cum Carolo V. familiariter loquebatur Anthonius Læva, primus ipsius minister : delapso ad res Italiæ sermone, Læva Imperatori facilem, uti rebatur, totius Italiæ subjugandæ rationem demonstrans ; ante omnia hos, illos Principes è medio tollendos, inquiens. Cui Cæsar : Quæ

*(a) Jerem. 22, 29. (b) Ezech. 4, 1. (c) 1. Thren. 4*



Junius.

*Tessera.*

469

interim, ac dein Animæ meæ futurum est? Ergò, ait  
Læva, (cui verè tunc mens erat læva) animam habes?  
Vade, & imperium abdica: Illud, nempe, innuere  
volebat, conscientiam, & dominationem non benè  
inter se convenire. Ecce, quot malis nos objiciunt  
hæc fluxa mundi bona, ut si illis frui velis, vel ut uti  
pollis, necessarium sit exuere omnem virtutem, ani-  
mo proscribere pietatem, seponere Dei providen-  
tiam, excutere omnem conscientiam, negligere ani-  
mam. Denique non potes consequi illa fortunæ  
bona, nisi cum maximo animi infortunio, fias malus.  
Si ergò sapimus, cavemus terrena sapere. Ideò esto  
hoc, vice oraculi:

*De re terrena, non sit tibi plena crumena.*

## 19. DIES JUNII.

In præceptis datis corporibus, nullum sui ar-  
bitrium est. *Seneca de Ira l. i. c. 7.*

Occasio I. **N**E priveris tuo, quo tibi suc-  
peccandi curras, arbitrio, cave à præ-  
fugienda. cipitio. Accinit enim Sene-  
cæ Tullius: (a) *Qui se precipitavit, susti-  
nere se, cum velit, non potest.* Positus in peccandi  
periculo, proximus es; præcipitio. Quantum hoc  
times, tantum illud cave. In potestate cujusque  
est, occasione se offerre; at postquam illi se obtulit,  
vix in ejus est potestate, culpam evitare. In mea est  
potestate, prælium inire; at in mea potestate non est,  
potiri

Gg 3

potiri



potiri victoria. In mea potestate est, ingredi mare, sed non est in potestate, evitare periculum, declinare naufragium. Audi, ut sapias, Sapientem: (a) *Quasi à facie colubri, fuge peccata*; non tantum cavendum est, ne incurras morsum, sed conandum, ut fugias etiam tactum: imò non tantum fugiendum est à contactu, sed etiam à conspectu. Sicut fugiendum est à peccato, quasi à facie colubri: sic multò maxime à facie mulieris, quæ est peccandi, vel occasio, vel causa. Nullus enim tam est corpori noxius coluber, quàm animæ mulier. Quis equus adeo elumbis, & nervis, qui visis equabus, non semel, atque iterum adhiñiat? Quis senex adeo effætus; quis juvenis adeo pudicus, qui conspectis puellis, non semel suspirat? In rebus voluntariis, virtute præstare aliquem posse, non nego: in naturalibus verò, suam quisque imbecillitatem fateatur, necesse est. Non prius desinet te caro suis illecebris titillare, quàm jacueris in sepulchro cadaver.

II. Nec quis sibi blandiatur propter ætatem, quia senex est; sænile vetus, difficulter flammam concipit: sed si semel conceperit, difficilius extinguitur. (b) Quis ignorat senes illos, apud Danielè, duos illos fumigantes orci titiones, Veneri autoratos, Asmodæi mali dæmonis emissarios, lenones sævæ libidinis capulares, silicernia impudorata, intempestivos amatores, impuri Cupidinis laternarios, curioso mulieris venustatis obtutu in scelus impulsos, funesto igne haustos fuisse? Itaque illi, qui ætatis beneficio, senectutis privilegio à Venereo amplexu alienissimi esse debuissent; cùm jam corporis voluptates, post

[a] Eccl. 21. 2. [b] Dan. 13. 12.



Junius. impetum violentum languescere, & desinere con-  
 fuerint, cum ardor sanguinis in adolescentia bul-  
 lientis defervescat in plurimum: in occasione pec-  
 candi, ad luxuriæ motus revocati sunt. Accuratus  
 ille intuitus alieni vultus speciosa forma blandientis,  
 excitavit tenues scintillas, quæ in effætis membris  
 obruebantur, & tantum libidinis ætium invexit,  
 quantum miramur. Quis adhuc fidat ætati? quis  
 non diffidat suæ imbecillitati? ubi vel unus tantum  
 radius muliebris venustatis, in oculum curiosum ex-  
 ceptus, sic abripit, & infatuat, & transversum agit, &  
 Regia virtutum via deflectit, scelere infami, & in-  
 comparabili dedecore. De carne nascimur, in carne  
 vivimus, in carne morimur; cavendum, ne qui in  
 carne vivimus, carne vivimus, atque ita propter car-  
 nem, æternum moriamur. Itaque ad titillationem  
 carnis, quod attinet, neque juvenibus nimis fiden-  
 dum, quin & senibus timendum: sed tutissimum in  
 vitis, ut peccatum effugiant, occasiones pec-  
 candi fugiant. Ideò, scilicet, Virgines Vestales in-  
 tra parietes inclusæ continentur, ut occasiones, quæ  
 in compitis offeruntur, devitent. Non, ut stolidiores  
 amant secessum: sed, ut prudentiores fugiunt con-  
 gressum.

III. Scite dicebat quidam, nolle se cum adver-  
 sariis altercari, ne excederet modum: facilius enim,  
 inquit, est, continere se à pugna, quàm in pu-  
 gna. Eadem ratio monet vitandam occasionem  
 crapulæ: facilius enim est, continere se à mensa,  
 quàm in mensa. Ita pronius est, animum continere  
 à voluptatibus, quàm in voluptatibus. Facile est,  
 non intrare in chorum tripudiantium; sed ubi



intraveris, & tibi tripudiandum erit. (a) *Qui amat periculum, in illo peribit. Periculum*, dictum est à *per-eundo*, qui in eo quis facile perit: Ergò, si times perire, fuge periculum; quia in eo invenies, unde peceas. Iterum in verbo *Discrimen*, includitur *Crimen*; itaque fuge discrimen, & effugies crimen. Sic affinia sunt voce, hæc duo verba, occasio, & occasus; quia occasio peccati, sæpè est occasus peccatoris. Attalus Philosophus, cum Spartaë viveret, quæ à fluvio interfluente in duas partes dividitur, nunquam flumen voluit transire, dicens; terram productam fuisse hominibus, aërem volatilibus, aquam piscibus; cum pisces, & aves se in terram contulerint; & ego aquæ me immiscebo. Ne pereas in mari, evites pericula maris. Est vetus adagium: *Præstat esse pauperem in terra, quàm divitem in mari*. Noli tuam virtutem periclitari in periculo. Est & illud ut vetustum, sic & venterium proverbium: *Felicissimus tesserarum jactus est, eas non jacere*. Jacis aleam, quoties peccandi periculo exponis animam: sæpè dum talis jacitur alea, jacet anima. Nulli hîc probrosa est fuga, quia fugiendo acquiritur palma: si enim occasionem peccandi fugis, peccata fugas. Nimirum:

*Hunc fugiendo fuga, quem fuga sola fugat.*

## 20. DIES JUNII.

Maxima est factæ injuriæ pœna, fecisse.  
*Seneca l. 3. de ira. c. 26.*

(a) *Eccl. 3. 27.*

I. Nul

(a) I



Junius.  
Qui amat  
est à per-  
si tunc  
inde per-  
Crimen  
ic affinia  
as; quia  
Attalus  
vio inter-  
umen vo-  
te honi-  
cùm pil-  
aquæ me-  
la maris.  
in terra,  
n pericli-  
& venu-  
actus est,  
periculo  
a, jacet  
igiendo  
andi fu-

Junius.  
Injuriam  
remittentem  
inimici-  
cui.

Tessera.

473

I. **N**ullus unquam foret injurius  
in eum, qui fecit injuriam,  
si maturè expendat hujus  
diei tesseram. Quid aliud intendis,  
dum inimici vis injuriam ulcisci, quàm ut tibi det  
pœnas? jam dedit, dum injuriam fecit: injuriam  
irrogasse, non tantùm est culpa, sed pœna; nulla e-  
nim infertur injuria, sine scelere; at commisisse sce-  
lus, supplicium est scelerati. Videte quò, ni frænes,  
progre diatur ulciscendi cupiditas. (a) Cùm Pausa-  
nias, Philippum, patrem Alexandri Magni lethali  
vulnere con sauciaffet; Alexander superveniens faci-  
nori, Pausaniam comprehensum trahi jussit ad pa-  
rentem adhuc spirantem; & gladium in manum pa-  
tris immisit, & manu suâ manum patris impellens,  
occidit Pausaniam: quo facto, ait Philippus, libenter  
mori or nunc, quia ultus sum injuriam inimici; & his  
dictis, expiravit. At nostrum odium sæpè latius se ex-  
plicat. Quot reperiuntur, qui malunt perire æternùm  
potiùs, quàm non ulcisci inimicum? Multorum vox  
est: Peream, modò perimam, semper ardeam, modò  
ulciscendi ardorem semel expleam. Juvat omnia  
mala perenniter pati; modò liceat injuriam ulcisci.  
Hoc qui cogitat, sic & loquitur, nunquid satis à se  
plectitur?

II. Ulcisci vis injuriam? malle, credo, ulcisci gla-  
dio integro, & acuto, quàm trunco, & hebeti.  
Vult & Deus te odio prosequi inimicum, & quasi  
gladio confodere, sed gladio, & odio perfecto, ex-  
emplo Davidis: (b) *Perfecto odio oderam illos.* Quod  
est

Gg 5

(a) *Inspec. Histor. l. 4. c. 6. 19.* (b) *Psal. 130.*

fecisse.

Nul-



est hoc perfectum odium? Est amor imperfectus, & odium imperfectum. Imperfectus amor est, qui Cupido vocatur: verè imperfectus; quia & puer est, & cæcus. Sic datur odium, quod & puer eit, & cæcum, quia sine oculis mentis. Unde & dictum à quepiam, & venustè; quod duo cæci, & duo monoculi, orbem regant, & sursum, ac deorsum agitent: duo cæci sunt, Amor, & Odium: duo monoculi sunt, Orbis Solis, & Orbis Lunæ; qui dati sunt in potestatem diei, & in potestatem noctis, & cùm unum singuli oculum habeant, sunt monoculi. Vult ergò Deus, ut odio non diminuto, puerili, imperfecto; sed integro, sapiente, & vidente, inimicum prosequaris. Uti enim Amor imperfectus, quia puer est, & cæcus, nequit tela sua immittere in destinatum scopum, sed ab eo plerumque aberrat; ita & hoc evenit odio imperfecto; cùm enim læsus sit ab iniquitate inimici, ut tangat scopum, debet jaculari sua tela non in hominem iniquum, sed in ejus iniquitatem: sed cùm ejus odium sit cæcum, non peccatum, sed peccatorem odit. Fuerat olim quidam à Rege Galliarum ad mortem damnatus: post hæc, ipso præsentem Rege, pomum capiti filii sui impositum, inde, benè diffusus, jaculo confixit, illæso filio: Rex artem tantam admirans, eum morte absolvit. Ita, si odium tuum sit perfectum, & in jaculando tam dexterum, ut telo iræ tangat solùm iniquitatem hominis, illæso homine; absolvet te Deus à peccato tuo: quia si dimittas, & tibi dimittetur.

III. *Benefacite eis, qui oderunt vos*, est consilium illius, qui est magni consilii Angelus: Hoc qui exequitur, est arbor bona, onusta fructibus, quam si lapidi-



Junius.

Tessera.

475

pedibus impetas, vel ramos ejus fustibus percutias: pro injuria demittit tibi fructus: sic tu eum, qui te afficit injuria, affice beneficiis; qui te onerat contumelias, honora laudibus; qui tibi infert infamiam, refer gratiam. Joannes Fundator Ordinis Fratrum Charitatis, cum quis eum sarcasmis, & calumniis insectaretur, pro more habebat dicere: *Dabo tibi duo talenta, hac conditione, ut ea omnia proclames alta voce in platea.* Prudens mercator, qui contumelias, quasi sumptuosissimas gemmas, volebat etiam ingenti pretio nundinari: nolebat quemquam gratis tibi calumniari, tam erant illi calumniae gratæ. Eidem solenne erat dicere inimicis suis: *Frater serius, ocyus oportet necessario me tibi ignoscere; prestat id jam faciam.* Interpretabatur se sibi tuturum injuriam, nisi statim ignosceret facienti injuriam. Et tu, quisquis hæc legis, statim ablega animo omne odium; & jam nunc sine omni morâ fac, quod optabis te fecisse novissimâ horâ: fac modò ex virtute, quod facere te aliquando oportebit ex necessitate. Alterutrum tibi ex his eligendum est; vel te perdere, vel inimico parcere. imitare Sigismundum Imperatorem, quem cum quidam carperent, eò quòd inimicis dignis interfici parceret. Quibus ille: *Inimicis non parco, sed interficio; quia ex inimicis reddo amicos.* Dum quis occisus est; verè de illo dicitur; non amplius est. Id verum est dicere de inimico tuo, quem tibi reddidisti amicum: Inimicus tuus modò non est, igitur jam obiit, ideò eum interfecisti. Si ergò juvat mactare, macte, beneficiis macta; & omnis inimicitia tibi cadet victima: quia tunc vicisti, dum pepercisti. Noli igitur irasci inimico tibi irascenti: nam

21. DIES

*bras injustas, Dominus non linquit inultas.*



## 21. DIES JUNII.

Amor, est otiosorum negotium.  
*Cato major.*

Amor car- I.  
nis, est o-  
dium  
mentis.

**A** Mor est morum instructor. Ut igitur rectè excolas mores; vide, quò tui ferantur amores. Quanta igitur adhibenda diligentia, ut prudenter seligat, quod utiliter diligit. Qualis enim fuerit amor, quo flagras, talis erit & vita, quam agis. Qui benè amarit, benè vivet; qui verò benè vixerit, benè etiam amabit: adeò, ut si malè collocatus sit amor; totum etiam vitæ tempus malè collocetur. Amor novus, qui in ætatis vere, ex recenti pullulat sanguine, venenum est, quod subito per venas manat; aconitum est, quod viscera confestim penetrat; spasmus, quo membra subito torpescunt; angina, quæ cor statim strangulat; bonæ denique mentis est pestis, & interitus. Quid dicam? nescio, etiam si quod dicere volo, sentiam. Nemo enim amorem habet in ore; quin dolorem percipiat in corde, quia ubi est amor, ibi amator. Ovidius tantus amandi Magister, ut scripserit librum de arte amandi, dicit: Est Amor, nescio quid; venit, nescio unde; immittitur, nescio à quo; nascitur, nescio quomodo; capitur, nescio quibus; sentitur nescio quando; interimit, quamobrem.

II. Si libido est, cognoscere, quid sit Amor, aspice ejus lineamenta, ab Epicteto expressa. *Amor est otiosi pectoris*



pectoris molestia; in puero pudor, in virgine rubor, in  
 femina furor, in juvene ardor; in senere risus. Romani,  
 olim templum Veneri dicârunt, via Salaria, cum in-  
 scriptione hac: *Veneri Verticordia*, indicantes, amo-  
 rem Venereum, corda quoquo libuerit, vertere, in-  
 vertere, pervertere. (a) *Averterunt mulieres cor e-  
 jus*: Cujus? O pudor! illius, qui erat ob sapientiam,  
 mundi oraculum: Cujus? O dolor! qui erat ob scien-  
 tiam, doctrinæ prodigium; Salomonis, inquam, qui  
 ita sapuit; ut per excellentiam, vocetur sapiens. Fa-  
 ctus est amando sic amens, ac si nulla in eo foret  
 mens: evasit vecors, & excors, per Venerem Verti-  
 cordiam. Vin<sup>o</sup> illius Verticordiæ Veneris, aliud stra-  
 tagema? Galeatius Manruanus, inter primos sui sæ-  
 culi Heroes, cum fortè puellam, quam deperibat, in  
 ponte obviam haberet, illa joci gratiâ: *Quin tu, in-  
 quit, bellissime amator, qui tantum tibi in acie pla-  
 ces, è ponte in amnem amoris gratiâ desilis?* Ille cum  
 equo statim se præcipitem dedit, quo exanimato, vix  
 natando è Ticino emerfit. Nonne averterat mulier  
 una cor ejus? Quid fuit aliud, ob unius sordidulæ  
 puellæ vocem, sic de ponte desilire, quàm extremam  
 insaniam insanire? Quàm prudenter dixit Cato: A-  
 morem, esse otiosorum negotium, quia hic affectus  
 potissimum occupat otio deditos: ita fit, ut dum otio  
 vacant, in rem negotiosissimam incidant, illud enim  
 otium, magnum illis facessit negotium.

III. Hoc unum sit tibi, contra morbum hunc  
 periculosissimum, remedium; ut nunquam incipias  
 amare. Incipies desipere; si incipias malè diligere.  
 Tam mala bestia est amor; ut tenui filo capi, & ligari  
 se si-

(a) 3. Reg. 11.



le finat, ut nullis postea armis, aut machinis abigi possit. Hic illud verum est: *Agrus ejicitur quam non admittitur hospes.* Canem caudâ, lupum auribus tenere laboriosum; dimittere periculosum est. Sic impudicum amorem facile in cor induxeris; sed non tam facile ejeceris. Hamus est amor, qui capit, dum capitur. Vide igitur, cum quibus tibi sit commercium. Talos quidem in manus, & potestate habet lusor; sed jactus admodum est incertus. Deinde subtrahe huic igni, ne ardeat ligna; ille ingerunt, Bacchus, & Ceres, sive ventris ingluvies. Rectè Comicus Poëta: *Sine Cerere, & Baccho, friget Venus:* Ergone in te Venus ardeat, ut frigeat, læpè venter esuriant, guttur sitiat. Ebrietas pedissequa, semper est luxuria. Ut homini cicuta est venenum; ita & lyæum. Bacchi fervorem, lymphâ temperandum, monent Sapientes. Et alius, primum poculum, ait, esse necessitatis; secundum, hilaritatis; tertium, voluptatis; quartum, furoris. Deinde sæpè cum otio tecum expende damna, quæ amor infert amanti, nihil aliud, quam corpori imbecillitatem, labem famæ, facultatibus detrimentum, vitæ exitium, proximo scandalum, & tandem animæ æternum exitium. Sed & in hac pugna, opus est fuga. Fuge mulieris faciem, quasi animi faciem: illius vultus tibi erit vulnus. In hac re locum habet illud adagium, in servitute amoris: *Aut servi, tanquam servus; aut fuge tanquam cervus,* ut possis dicere: (a) *Posuisti pedes meos, quasi cervorum.* A vero igitur non aberrat hoc Metrum:

*Si renum cupis incolumem servare salutem;*

*Si renum cantus effuge, sanus eris.*

22. DIES

(a) Psal. 17. 34.



## 22. DIES JUNII.

Omnia illa, quæ hîc erant magna, modò sunt nulla. *Eucherius de contemp. mundi.*

Vanitas I. **E**cce hîc, quò vergunt omnes, omnium quos subdis labores? quibus te rerum. exponis, pericula? quibus te fatigas, vigilias? quas fundis, lachrymas? quæ devoras, tædia? quæ perfers, fastidia? quas pateris, molestias? ut, scilicet, acquiras illa, quæ in hac vita, hoc est, momento sunt magna; & ideò magna fiunt, ac deinde post vitam, id est, totâ æternitate, erunt nulla. Sed proderit totam de rerum inanitate, audire, & expendere Eucherii orationem: *Vidimus nuper viros honore conspicuos, celsarum dignitatum insedisse fastigiis, & diffuso usquequaque censu per orbem patrimoniam diffudisse. Cupiditates successibus vicerant, rebus vota transvolaverant, sed privatas tantùm felicitates revolve. Reges ipsi, magno sublimes imperio, auro, gemmisq; fulserant. Horum tegmina (mirum dictu textis irradiabant metallis; diadema, distinctis intermicabat ardoribus; splendebat instructa Palatinis aula cultibus, auratisque trabibus tectarutilabant, eorum voluntates, jura hominum, eorum verba leges appellabantur, &c. Ecce, eorum ambitus nusquam est: affluentissima quoque opes abierunt; transierunt ipsi tantarum opum Domini. Recentium, inclycorumque regnorum, apud nos jam quadam fabula est. Et tandem hæc omnia obsignat his aureis verbis: Omnia illa, quæ hîc erant magna, modò sunt nulla.*

II, O



II. O filii terræ ! ô discipuli vanitatis ! ô infami cosmophili ! Nonne experientiâ magistrâ intelligiris evolare tempus, alis non vibratis; fugere vitam, pedibus non sublatis; digladiari fortunam, brachiis non commotis; commeatum petere mundum, ne verbo quidem prolato : homines nos decipere immobilibus labiis; consumi carnem, nemi ne animadvertente; emori cor, nullis adjutum remediis; denique gloriam nostram, ac si nunquam fuisset, transire; mortemque nobis, ne pulsatis quidem foribus, insultare? Sed si mihi dicenti non credis; illi saltem adhibe fidem, qui omnem adhibuit conatum, ut omnes mundi voluptates, non primariis tantùm labris degustaret, sed in eas se totum ingurgitaret. Hic fuit M. Aurelius Imperator; sic ipse jam moriens: *O munde! ut nihil aliud es, quàm mundus? Annus hic est quinquagesimus secundus, ex quo nascentem me accepisti; quo toto tempore, ne semel quidem ex te veritatem audivi; & in decies mille mendaciis te deprehendi: nunquam à te quidpiam petii, quin promiseris; nunquam mihi promisisti, quod dederis; nunquam tecum commercii quidquam habui, quin deceptus sim; nunquam societatem tecum inii, quin perierim; denique nihil unquam in te, cur amandus esses, vidi, & quidquid in te videbam, dignum erat odio.*

III. Hæc non rusticus, ex agro; nec agricola, è tugurio; nec miles, è diverforio; ne plebejus, è trivio; nec bubulcus, ex hara; sed Imperator, ex aula. Itaque quantumvis vel rudis, vel demens, negare nemo poterit; fieri non posse, ut in maris profundo, ignis accendatur; ut in præcipitiis altissimis, via æqua sternatur; ut ex sanguine tenui nervi, ex venis teneris

offa



Junius.

Tessera.

481

offa fiant: ita nec fieri potest, ut viridis juventæ flos,  
senectutis ævo non aliquando deflorescat, & mundi  
bona peritura cum tempore non pereant, & tempus  
ipsum omne in æternitatis mare non devolvatur.  
Unde nihil difficilius est, quàm inter bona peritura,  
non perire. Sed hinc seriò expendant illi, qui noctes,  
diesque student struendis opibus, ac cumulandis di-  
vitiis. Quibus tandem illa relinquent? patet id ex  
verbis Davidis: (a) *Relinquent alienis divitias suas, &  
sepulchra eorum, domus eorum in æternum.* Attende,  
quid tu illis; quid illi tibi relinquant. Tu illis relin-  
quis tot laboribus, tantas congestas opes; ipsi tibi re-  
linquent aliquot, quibus tegaris, cespites. Tu illis re-  
linquis tot silvas, arbores, tigna, ligna: illi tibi relin-  
quent quatuor, quib' claudaris, asseres. Tu illis relin-  
quis tantam supellectilem vestium, ex cocco & pur-  
pura & bysso: ipsi tibi relinquent sepulchralem, quâ  
involvaris, sindonem. Tu illis relinquis tot amplos  
fundos, tot fertiles agros, tot pinguia pascua, tot am-  
pla prædia: illi tibi relinquent quatuor ulnarum sub  
terra specus, cæcum telluris, ubi computrescas an-  
trum. Claudio cum Poëta:

*Dic homo, quid speres? qui mundo totus adhares?  
Tecum nulla feres, licet omnia solus haberes.*

## 23. DIES JUNII.

Hominibus contra Deum credunt, qui  
Deo contra homines non credunt.

*S. Cyprianus serm. 5.*

*Pars II.*

Hh

I. Mut-

(a) *Psal. 43. 11.*



Mundi  
perfidia.

I. **M**undum esse vanum, & omnia, quæ sunt mundi, esse vanissima; & homines, qui ea sectantur, esse ipsissimam vanitatem, clamat sexcentis locis, æterna Veritas, in suis paginis: & tamen hominibus, qui contra Deum asserentibus facilimè: Deo contra homines attestanti difficillimè credimus. Quid in mundo inest, vel mundi cultoribus deest; quod licet eos oderit, eum odisse nequeant, licet increpet, dissimulent: licet calcibus feriat, tolerant; et si fustibus eos contundat, silentio ferant: etiam si illos persequatur, non querantur: licet bona illorum eripiat, tamen non reperant; & ut fraude eos circumveniat, fraudem tamen appellare nolint; & quod pessimum, cum è sua nos domo pellat, tamen exire recusant. Sic mundum, qui nos persequitur, sequimur; qui nos averfatur, sectamur; qui nos decipit, credimus: & Deum, qui nos quærit, fugimus; qui nos amat averfamur; qui nos tuetur, odimus. Pulchrè, postquam mundum fuerat sectatus, & mundi perfidiam expertus, D. Augustinus de mundo (a) *O munde immunde, in te habitare, & non dolere, est impossibile! O munde proditor! va, qui tibi creditur, beatus, qui tibi resistit: beatior, qui à te illusus recedit, &c. Divitiæ tuæ promittunt securitatem, & dant timorem; satietatem, & dant esuriem; stabilitatem, & dant subitam defectionem.*

II. Sed licet tam sit perfidus mundus; infinitè tamen major est nostra amentia, quàm ejus perfidia. Quis non obstupescat brutas hominum mentes quo

(a) *Ad frat. in erem. serm. 31.*



Junius.

Tessera.

483

quod nullâ propositâ emolumentî spe ; cùm per pontem ingredi liceat , vadum quærentes circumimus : cùm via sicca sit, per paludes imus: cùm ad manum sint epulæ salutare , venenum quærimus lethiferum : interitu gaudemus, cùm servari valeamus: denique nullo proposito lucro, culpam admittimus , licet pœnam ejus comitem esse videamus. Summâ uti vigilantîâ viros prudentes decet : ut videant, quid agant, examinent, quid loquatur: ponderent, quid suscipiant; spectent, cui se adjungant: & in primis cognoscant , cui se committant. Aded quippe debilis est intelligentia nostra, ut ad nos decipiendos unus sufficiat, ad nos errore liberandos etiam decies milleni nihil possint. Tanta & mundi, de fallendis: & carnis, de inescandis: & dæmonis, de fallendis, nobis est sollicitudo: ut licet angustissima sit via, semita confragosa, iter longinquum, vita brevist: tamen nunquam non corpora nostra, vitiis onerata, nunquam non corda curis referta sint. O intolerabilem vitam humanam ? in qua tot insunt scelera, à quibus cavere debeamus: tot pericula, quæ fugiamus: tam multa, in nobis ipsis, quæ consideremus: ut tum demum & illam , & nos agnoscamus: cùm ex vita exeundi hora novissima appropinquat.

III. Si quid ergò in te est fidei Christianæ ; cave fidas mundo, cui nulla est fides, cui proprium est, sub auro tenuissimo multam abscondere æruginem; sub veritatis colore, mille nos onerare mendaciis: brevi voluptati, myriadem miscere dolorum; quibus maximam ostendit benevolentiam, eos citius inducere in disciplinam: quanto plus

H h 2

bono



bonorum suorum donat; tantò majora inferre damna: joco sibi servientibus sævam mercedem seriò reddere; & à quibus seriò amatur, iis bona ludrica dare: denique ex somno securissime, cum maximo nos expergefacerè periculo. Tu quidem subdolas mundi strophas, & technas vel nòsti, vel ignoras; tametsi ignorare qui potes? si non nòsti, cur ei servis? si nòsti, cur ei credis? An non dementem judicares furem, qui restim emerat, quâ strangularetur; aut homicidam, qui gladium fabricaret, quo jugularetur; aut prædonem, qui puteum ostenderet, quo mergeretur; aut proditorem, qui in forum spontè prodiret, ubi in quatuor partes laniaretur; aut seditionis auctorem, qui suo se judicio proderet, ut lapidaretur? Sed his omnibus tu longè es stultior, qui si mundum nòris, mundo credis. Verè angustus tibi est animus, quem delectat mundus, cum in eo nihil sit, nisi dolus. Magna servitus est, magna in mundo fortuna, imò maximum infortunium. Nam citò omnis ejus voluptas nos relinquit, quæ fluit, & è manibus vix tacta effluit; penè antequam venit, perit. Et fueris felix, res est inquieta, felicitas; nam misera est magni custodia census; nec amittitur, nisi cum gravissimo animi sensu. Igitur faceffant opes, quia faceffunt opus. Admoneo cum Poëta, aurem, si sapias, arrige admonenti:

*Quisquis amas mundum, tibi prospice, quò sit eundum;*

*Hæc via, qua vadis, via pessima, plenâque cladis.*



## 24. DIES JUNII.

Vix tota vita sufficit, ut hoc unum discas, vitam contemnere. *Seneca Epist. III.*

Vita spernenda.

I. **I**lla demùm extrema est hominis seu cæcitas, seu calamitas; illud maximi facere, quod oporteret maximè spernere, vitam. Nemo nostrum in hac vitali mortali, se putat mortalem, cum igitur videant homines vivendi perpetuitatem sibi denegatam, variis modis eam sibi comparare satagunt. Tota penè vita consumitur in procuranda nominis fama, post vitam. Druso Germanicus pro more habebat, tunc potissimum. Cum educendus in expeditionem exercitus esset; omnium virorum illustrium, qui in Italia erant, monumenta visere. Rogatus, cur id faceret, respondit: Ideò se monumenta visitare Scipionum, aliorumque Heroum jam defunctorum; ad quorum dum in vivis erant, tota contremiscebat terra; ut prosperam illorum fortunam considerans, fortitudinem audaciamque compararet. Et addebat; vehementer animum ad cædendos hostes incitari, dum quis sui memoriam futuris sæculis, se relicturum cogitat. Nimirum spes posteritatis, cogit magnanimos in quævis pericula, sine periculi metu sese induare. Est enim virtutis uberrimum alimentum, honos. Nam ornamentis honorum incitatur imitatio; & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni.



II. Prisci illi Ethnici ; cùm neque inferos timerent, neque cæli gloriam sperarent ; ex imbecillitate, robur: ex pusillanimitate, audaciam; ex timore, fortitudinem; ex periculo, confidentiam; ex inimicis, amicos : ex inopia, tolerantiam; ex aliorum astutia, experientiam comparabant, tantùm ut memoriam sui nonnullam inter mortuos relinquerent; & parumper inter vivos gloriæ consequerentur. Quid Ninum impulit, ut bella inveniret? Semiramim, ut tanta extrueret ædificia? Ulysses, ut tot enavigaret maria? Alexandrum Magnum, ut tot Regiones peragraret? C. Cæsarem, ut justo quinquages bis prælio certaret? Annibalem, ut bellum tam crudele Romanis inferret? Atrillam, ut totam impugnaret Europam? profectò non ideò res tam arduas suscipere, ut à coætaneis tantùm celebrarentur; sed ut ea, quæ dicimus, qui nunc vivimus, diceremus: Nimirum, honestus ambitus est, quos sequimur, tempore, velle præconiis anteire. Clarorum virorum famam præcedentia pericula extollunt; quæ profectò delitescit, nisi ubi probetur, invenerit. Præstantis viri est, vivum placere velle; mortuum etiam laudari. Cùm porrò immortalis nominis semita non sit, nisi per pericula: hinc vile corpus est illis, qui magnam gloriam petunt. Omnes enim viri fortes, qui in exemplum prædicantur, ærumnis suis, inclyti floruerunt.

III. Sed cùm Auctor naturæ circumscripserit nobis curriculum exiguum vitæ; sed immensum gloriæ, cur illud, quod tam exiguum est, præ eo, quod immensum est, non contempnimus? Incutiat nobis pudorem: & exprimat è vultu ruborem, Ethnicus Imperator



Junius,

perator M. Marcellus, qui primus tergum Hannibal-  
 lis in acie vidit, qui rogatus, cur adeò foret audax in  
 committendo prælio? cur ita in conflictu confidens  
 esset? respondit: *Ego, amice, Romanus sum, & Dux*  
*Romanorum; itaque singulis me diebus decet caput di-*  
*serimini objicere.* Si hoc dixerit Ethnicus, quid Ca-  
 tholicus? si Romanus, quid Christianus? meminēris  
 te stipendia facere sub Aquilis Christi. Dic ergò:  
 Christianus sum, ideoq; hæc vita caduca, præ æterna,  
 sicut est in se spatio brevis, ita & mihi pretio vilis, il-  
 lam pro Christo non tantum spernere; sed & per-  
 dere, mihi est ingens lucrum. Quis vitam, hanc æsti-  
 met, cum in ea minui necesse sit, quidquid sine jam  
 proximo in occidua, & extrema devertat: sive viride,  
 sive maturum, sive putre, sive decerptum, sive excus-  
 sum; necesse tandem est, vitæ hujus pomum à carnis  
 miseræ arbore avelli. Etsi enim mori, naturale est:  
 tamen sæpè nos in foliis, aut floribus juventæ, morbi  
 pruina, aut calamitatis grando aufert; ut cum vivos  
 nos è strato surrecturos remur, in æternâ claudamus  
 lumina noctem. Laboriosa, sumptuosa, inextricabi-  
 lis, & prolixa textu, est tela, hæc vita: sed ut multis  
 diebus detexitur: ita puncto temporis abrumpitur.  
 Hæc sententia mundo data est, ut omnia orta occi-  
 dant, & aucta senescant. Nonne prudenter inter-  
 roga t Poëta.

*Quid prodest homini, si vivat secula centum?*

*Cum moritur, vitam transire putat, quasi ven-*  
*tum.*



## 25. DIES JUNII.

Æquo animo toleres, oportet, quicquid  
 intra fortunæ aream geritur; cum se-  
 mel jugo ejus colla submiseris, *Boetius 2.*  
*Conf. 1.*

Fortunæ  
 incon-  
 stantia.

I. **D**escende hîc tacitâ cogitatio-  
 ne in tumultuosam cuncta  
 miscentis fortunæ aream; u-  
 insolentes ejus ludos, quibus nobis  
 scum colludendo illudit nobis, contempleris. In hac  
 arena quot propè censa fuerunt Heroum capita; tot  
 spectabis in gloria funera. Hæc est, quæ muros  
 excelsos oppugnat, & parietinas defendit; quæ de-  
 ferta inhabitata frequentat, & populos frequentes  
 affligit; quæ victores vincit; quæ ex proditoribus, fi-  
 deles; ex fidelibus, suspectos facit; quæ denique in-  
 star pilæ datariæ, regna sursum, deorsum volvit; exer-  
 citus profligat, Reges dejicit, Tyrannos evehit. Nihil  
 inausum fortunæ: adversus imperia, idem habet ju-  
 ris, quod adversus imperantes. Firmissima fortunæ  
 certitudo in incerto est. Mirum fuit illud symbolum,  
 quod secundus Spartanorum Rex portæ suæ inscri-  
 pserat, his verbis; *Hæc domus est, ubi homo facit, quod  
 potest; fortuna, quod vult.* Verba digna non tam  
 scribi in partis, quam inscribi fibris. Noverat ille  
 fortunam, qui se depositarium, non proprietarium  
 statuebat. Quoties aliquid perdiderat; non suum  
 sibi eripi, sed depositum existimabat repeti. Itaque,



si sapimus, quidquid à fortuna datum est, tanquam ex templo abiturum possideamus. Quod alteri tantum est concessum; id repetendi copia est, dum velis. Nam jure suo, qui utitur, nemini injuriam facit. Ille solus à fortunæ insultu tutus est, qui in sepulchri sese arcem recipit.

II. Ut semper tutus sis, nunquam esto securus. Nam incertitudo futuri temporis, non sinit securos esse, vel audacissimos. Magni enim casus, parvis sæpè momentis intercedunt. Hæc summa est nostra miseria, nos cum in conspectu mala habeamus, ea non agnoscere; cum manibus palpemus, non sentire; cum auribus ingerantur, non audire; cum clamor hincinde personet, non intelligere; cum indies moneamur, non credere. Tum demum intelligimus periculum, dum morbus nullum admittit remedium. Nihil tam leve, quod non magnæ interdum rei momentum facit. Nam ut constat experientiâ; aurulâ vel tenuissimâ poma decutiuntur; scintillâ vel minimâ deflagrat sylva; in scopulum exiguum illisa navis dehiscit; in lapidem parvum pes impingit; hamo exiguo magnus piscis capitur; vulnere levissimo vir magnus moritur. Hinc patet, adeò vitam nostram esse fragilem; adeò in vita fortunam esse ancipitem, ut quâ parte, nulla erat suspicio, eâ ingruat perditio. Adrianus Imperator annulum in digito gerebat, cui insculpta erat hæc sententia Senecæ: (a) *illis gravis est fortuna, quibus est repentina.* Hoc est, facile sustinere fortunam potest, qui semper expectat. Illud enim exploratum est, in syrtibus, non in altis undis formidare nautam;

Hh 5

ab

(a) C. s. ad Helmam.



ab insidiis occultis diligentius sibi bonum bellatorum, quam à prælio cavere aperto. Ita virum prudentem cavere tibi decet non ab exteris, sed à domesticis; non ab hostibus, sed ab amicis; non à bello aspero, sed à pace simulata; non à damno manifesto, sed à periculo occulto. Quapropter semper tuta time: quia in maximo est periculo, qui negligit periculum.

III. Quòd si igitur fortunæ tibi nota est indoles, nec turbines molestiarum ejus time; nec fulgura, & tonitrua expavesce; nec serenitati deliciarum ejus crede; nec blandimentis suavissimis fide; nec voluptatem exiis, quæ tribuit; nec dolorem exiis, quæ eripit, capias: nec inde, quod tibi faveat; nec quòd te repudiet, doleas. Nulli fortunæ minus, quam optimæ creditur. Quisquis beatus est, versà fortunæ rotâ, ante vespèrum potest esse miserrimus. Illud tibi certò persuade, eam vitæ partem periculosissimam esse, quam incuria securissimam facit. Quæris exempla? Agamemnon magnus Græcorum Dux, toto belli Trojani decennio non periclitatus: tandem domi suæ noctu crucidatus est. Alexander ille invictus, in expeditione Asiatica, & Indica non perit; & Babylone mox veneni haustu exiguo perimitur. Julius Cæsar ille magnanimus, quinquaginta duobus præliis vinci non potuit; & tribus, ac viginti plagis in Curia confossus est. Heu quanta, post tantam felicitatem, calamitas! quæ ignominia, post tantam gloriam; quod periculum, post tantam securitatem! quod infortunium, post tantam prosperitatem! quàm misera, & obscura nox, post tam serenum diem! quàm malum, post tam longum iter,

diver-

Junius  
diverso  
cem, se  
pio, mo  
latis ca  
formida  
esse bla

Rebr

Nulla  
lign  
Ma

Fortun  
prosper  
comes  
Invidia  
tes, nec  
adverfu  
quo qu  
nullum  
recipia  
qua ela  
nia, qu  
bum, &  
prio, hi  
bona. I  
talium  
fuis m  
culcâr



diverforium! quàm aspera, post litem tam pertinacem, sententia! quàm absœna, tam bono vitæ principio, mors! Denique rarò quisquam erga sua bona satis cautus est. Eadem in alterutro mutabilitas, nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit esse blanditias. Denique stat hæc mea sententia:

*Rebus tranquillis, metuas adversa sub illis.*

## 26. DIES JUNII.

Nulla tam modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit. *Valerius Max. c. 4. 7.*

**Fortunæ I.** **A** Dhuc magnum super est illis, prosperæ quibus lenocinatur fortuna, comes infortunium, Invidia erga Invidia. fortunatos. Inter prosperas fortes, nemo potest evadere malignorum dentes; quia adversus Invidiam, propugnaculum nullum est, quo quis se tueatur: nullus secessus, ubi delitescat; nullum cacumen, quo ascendat; nulli montes, quo se recipiat; nulla sylva, ubi latebras quærat; nulla navis, qua elabatur; nullus equus, quo effugiat; nulla pecunia, qua se redimat. Hoc discrimen est inter improbum, & invidum: quòd ille delectetur bono proprio, hic cruciatur alieno: ille diligit mala, hic odit bona. Invidia est fera ad eò venenata, ut nullus mortalium vel fuerit, vel futurus sit, quem non dentibus suis memorderit, unguibus laniârit, pedibus concalcârit, veneno infecerit. Est avida felicitas, & alieni avidi-

avidi-



aviditati exposita. Legas, quos volueris, libros; consule quoscunque prudentissimos viros; investiga, quascunque potes, rationes: omnibus lectis, consultis, investigatis, nullum contra invidiæ pestem reperies remedium, nisi prosperitatis abdicationem, & adversæ fortunæ contubernium. Nimirum, talis est invidiæ morbus, ut mortem minetur, tale pharmacum, quod adhibemus, ut vitæ securitatem minimè præstet.

II. Tametsi, si detur potestas eligendi, satius est inimicos nobis invidere, quàm nos illis, & præstat illos invidere nobis, quàm hos nostri misereri. Nulla ingenia tam prona sunt ad invidiam, quàm eorum, qui genus suum, ac fortunam animi non æquant; quia virtutem, & bonum alienum oderunt. Hinc assidua eminentis fortunæ comes, invidia est. Invidiæ filii sumus; cum invidia nascimur, vivimus, morimur. Et quò quis ampliores divitias moriens relinquit, eò major illum sequitur invidia. Non tamen tibi suaserim, ut declinandæ invidiæ causâ, à virtute illi inimica discedas. Homerus ait, suo ævo duos Græcos vixisse, in diversissimo genere insignes; alterum, rebus præclarè gestis maximè clarum; sed in primis invidiæ obnoxium, Achillem; alterum, improbitate insignem; cui nemo unquam invidit, nempe Thersitem. Quis autem nolit potius esse obnoxius invidiæ Achilles, quàm ab ea immunis Thersites? Nullo in perduto homine major improbitas, nullum in viro bono majus crimen inesse potest, quàm commodis dolere, & incommodis gaudere alienis. Etsi autem omnes invidiâ nos lædunt; tamen multò magis amicus invidus, quàm inimicus officit.

Tacit

Junius  
Tacit  
indicta  
poner  
mihi ca  
verò an  
suspica  
III.  
civitati  
bus: n  
rum sur  
vidos,  
quidan  
ret? S  
nihil fe  
diâ,  
esset, di  
rum pr  
micant  
vanesci  
sic res e  
invidiâ  
tiat;  
lumen  
nulla in  
stercor  
bus,  
tibus c  
cebat;  
bantur  
invidiâ  
capere  
invidio



Junius.  
 Tacitæ magis, & occultæ inimicitæ timendæ, quàm  
 indictæ, & apertæ. Contra hostes licet amicos op-  
 ponere; contra hos nullum est auxilium. Ab hoste  
 mihi cavere possum; & ille timens recidit: amicus  
 verò amicitæ fœdere me decipit; & ego nihil mali  
 suspicans, securus fio.

III. Utinam invidi oculos haberent in omnibus  
 civitatibus, ut de omnium torquerentur fœlicitati-  
 bus: nam quanta feliciū sunt gaudia, tanti invido-  
 rum sunt gemitus. Nunquam gravius torquebit in-  
 vidos, quàm virtuti, & gloriæ serviendo. Unde  
 quidam interrogatus, quomodo invidos non habe-  
 ret? Si nihil, inquit, ex magnis rebus habueris, aut  
 nihil feliciter gesseris: nam sola miseria, caret in-  
 vidia. Socrates rogatus, quid bonis viris molestium  
 esset, dixit: Malorum fœlicitas. Quid malis? Bono-  
 rum prosperitas. Nimirum, flammam primùm è-  
 micantem, multus comitatur fumus, qui quidem e-  
 vanescit, jam convalescente, & explicante se flammâ:  
 sic res egregias agredientem, initio multa premit  
 invidia, donec acta gloria, invidiæ fumum discu-  
 tiant: nam fumus gloriæ, invidia est. Et ubi nullum  
 lumen, ibi nulla umbra: ita ubi nulla fœlicitas, ibi  
 nulla invidia. Ut muscæ vulneribus, & scarabæi  
 stercorebus, sic invidi alienis nutriuntur adversitati-  
 bus. Nota est, quæ sequitur, fabula: Frenes den-  
 tibus canis, & allatrans nonnunquam in præsepi ja-  
 cebat; à quo boves terrebantur, neque admitte-  
 bantur ad pabula: Cui unus: Quanta, inquit,  
 invidia est; non pati te, ut eo vescamur, quem tu  
 capere nec velis, nec possis. Hâc fabula pungitur  
 invidorum malevolentia. Proverbium est: Una  
 domus



domus non alit duos canes. In eos quadrat, inter quos parum convenit, propter idem lucrum, quod communiter expetunt: sic & edentulus vescentium invidet dentibus. Pro quorum fulcienda fide, est hoc Vatis effatum:

*Vae sibi, quando canes veniunt os rodere plures.*

## 27. DIES JUNII.

Onecessitas abjecta nascendi, vivendi misera, dura moriendi! *Sidonius c. 8. 11.*

Miseriæ  
hominis  
nascentis.

I. **N**asci, vivere, mori, sunt compendium omnis, quod homo patitur, mali. Hæc tria, paucis perstringam. Ordior à nativitate. Ab infantia ærumnis conjuncta est humana natura. Ipsum in infante lucis rudimentum, eorum, quæ in vitæ progressu toleranda sunt, est præfagium: quia sicut maleficus aliquis cum in carcerem ducitur, tum catenis, ac compedibus stringitur; sic miserum hominem, in vitæ hujus carcerem detrusum, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus; atque ita infans, (unam tantum ob culpam) quia natus est; non antè quàm manibus, pedibusque ab obstetrice devinctis, fasciisque involutus, matris amplexu fovetur, & lacte nutritur. Et, ubi brutum pecus statim cum ex utero elapsum excidit, matrem agnoscit, & ex uberibus illius pender: in homine tantum abest, ut idem fiat; ut die, quo nascitur, nec patrem, à quo procreatus, nec matrem,

à qu



à qua in lucem editus, nec obstetricem, à qua susceptus est, agnoscat: imò nec oculis videre, nec auribus audire, nec gustu discernere potest; nec quid tactus sit, intelligit, nec odoratus sensu uti novit. Itaque nihil æquè miserum, destitutumque nascendi conditio produxit, quàm hominem. Ut rem acutè tigitisse videatur D. Ambrosius, dicens: *(a) Parvulos nan fragos in hanc vitam, quidã natura fluctus expuit.*

II. Deinde primus, qui ore ejus progreditur sonus, est querulus vagitus: ita ut infantia suã fragilitatem ploratu ominari videatur. Nascendo plorat, & plorandi materia quotidie ipsi nascitur. Itaque ipso natali die labore, & procellis mundi, quas ingreditur, ploratu, & gemitu rudis anima testatur. Homini igitur nato, nec ad incessum pedes idonei sunt, nec manus ad scapendum habiles; soli oculi ad stendum apti, ut verissimè dixerit Tertullianus: *(b) Diu infans, vix puer, tardè homo.* Ad hæc, singulis animantibus natura dedit tegumenta, quò faciliùs possint calorem æstivum, & frigus sustinere hibernum: ovibus enim lanam, avibus plumas, porcis fetas, equis pilos, ursis villos, piscibus squamas, testudini conchas dedit. Quid multis opus est? Nullum animal necessitate adstringitur, vel manibus vestem sibi conficiendi, vel alienis se velandi opibus. Hæc verò omnia homo desiderat; qui nudus, & nascitur & moritur; nec unicam quidam vestem vel afferens, vel auferens: & si vitã progrediente, veste aliquã vult uti, ab animalibus illam mutuatur, necesse est; ab ovibus lanam, à bobus pelles, à vitulis corium, à bombycibus sericum.

Hoc

*(a) Orat. funeb. Theod. (b) Advert. Marcio. 4.*



Hoc est, quod dicit Arnobius : (a) *Homines, imbecillitatis auxilia, animalibus mutantur à mutis.* Itaque neque Rex, dum nascitur, secum confert purpuram, nec Cæsar paludamentum, nec Princeps trabeam, nec Senator togam, nec miles sagum, nec Philosophus pallium. Nemo, non modò non secum rudem pannum, sed nec panni centonem, nec centonis frustum, nec frusti filum in vitam confert.

III. Quid hîc dicam? Natura non modò vestitu instruxit animantes, sed alimenti quoque curâ liberavit. Nullum enim animal sibi arat, fodit, putat, seminat: sed exiguis contenta; alia muscis aëris, alia viarum granis, alia camporum graminibus, alia formicis terræ, alia algâ aquæ, alia ossibus sterquiliniorum, alia radicibus plantarum, alia pomis caducis vitam sustentant. Denique curarum omnium expertes, somno se dant animantes; ac si postero die non opus futurum esset, ut ederent. Itaque bestiis omnibus, naturam tutelam sui, & ejus peritiam tradidit. O quanto miserum hominem, Deus affecisset beneficio! si laborem illi sese vestiendi, & curam quaerendi nutrimenti ademisset! sed quid faciat miser homo? qui priùs quàm edat, agrum aratro proscindere, iterare, seminare, rigare, metere, triturrare, ventilare, molere, farinario cribro secernere, subire, & coquere cogitur; quorum nihil, sine nientis cura, sine intellectus industria, sine artis directione, sine manuum labore, sine vultus sudore confici potest. O nos miseros! quotquot in lucem prodimus vitalem, qui nec, quid nobis noxium, quid nobis comedendum, à quo abstinendum, quid odio

(a) *Luc. 2.*

habent



habendum sit, intelligimus: nec in eo, quod amandum est, scopum attingamus, vel quibus nos credere, vel à quibus cavere nos debeamus, internoscimus; nec quid eligendum, quid rejiciendum sit, discernimus. Imò non rarò, ubi nos vadum arbitramur tutissimum transituros, vix tres passus progressi, pelago absorbemur. Cùm igitur tot calamitatum pelagus, dum nascitur homo, ingreditur; quid miramur, eum à ploratu vitam auspiciari? imò quilibet vocis sono, suas ærumnas lamentatur: Masculus enim recenter natus dicit A; fœmina verò E.

*Dicentes E, vel A, quotquot nascuntur ab Eva.*

## 28. DIES JUNII.

*Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? S. August. de verb. Dom. serm. 18.*

Miseriæ  
hominis  
viventis.

**N**on tantum homo est miser, dum vivere incipit, sed dum vivendo proficit. Singula, quibus constat membra, sunt totidem illi, quibus cruciatur, pœnæ instrumenta. Sed his omissis, cogita quantum in vita, ex animalibus mali sit homini, dum leones nos terrefaciunt, ursi dilaniant, lupi deprædantur, canes mordent, feles unguibus lacerant, serpentes veneno inficiunt, tauri cornibus impetunt: & quod omnium indignissimum, interdum homini, dum sanguinem exorbet, molestus est culex; noctu, dum quietem interpellat, molestus est pulex. Et quænam major cogitari potest,

*Pars II.*

*Ii*

*test,*



rest, quàm hominis egestas? qui ad vitam hanc arduam sustinendam, quidquid opus est, inter animantes mendicare cogitur, dum jumentorum operam, in convehendis lignis, aggerendam aquam, faciendum tinere, vineis colendis, frumentis importandis utitur. Quid, quod animantes, lignis onerata, flagrantibus concisa, per vias asperrimas adacta, pabulo defraudata, sobole orbata; nullam ex his tristitiam præferunt, multò minus lachrymantur, & ut maxime flere vellent, non possunt. At in hominibus miseris aliter fit; qui nihil norunt, nisi deplorare amicorum ingratitude, inimicorum persecutionem, liberorum mortem, penuriam alimentorum; casus, quos experiuntur adversos; falsa, quibus onerantur, testimonia. Verè dixit Plinius: (a) *Luctus, uni animalium, homini datus.*

II. Quæramus nunc ex primis mundi proceribus, quid artis, eo quo nascantur die, norint? An morum oratorum dicere, cursorum ambulare, Regum gubernare; equitum pugnare, agricolarum arare, Magistrorum docere possint? Respondebunt, scilicet, infantuli, non solum omnium, de quibus quærivimus, ignaros se esse, sed nec dicere posse, nihil eorum se nosse. Si ergò instemus. Quid ergò sciunt? nihil se posse respondebunt, præterquam fletu, dum nascuntur, sese explere. O infelicem vitam! vel potius vitalem mortem! in quâ omnes scientiæ, omnes artes, omnia opificia, longo indigent ad discendum tempore: & post omnes labores, plura sunt, quæ omittimus, quam quæ discimus; & eorum, quæ discimus, maximam partem obliviscimur. Solam flentem

(a) *Prem. 7.*



artem, non opus est, ut quisquam discat: ad hoc non tantum sumus dociles, sed sine disciplina faciles: siquidem flentes, & nascimur, & vivimus, & in hunc diem, neminem facile vidimus ridentem mori. Quid, quod homines non tantum sint calamitosi, sed & maligni? nam imbecillitatem non fugientes, malitiam amplectuntur; gloriam ex probitate captandam, in superbiam; innocentiam desiderium, in invdiam; ardorem, quo contra malitiam incitari debebant, in iram; liberalitatem, quam erga bonos uti debebant, in avaritiam; edendi necessitatem, in luxuriam; vigilantiam, quam animam consulere debebant in desidiam mutant. Tanta in hominibus peccandi libido est; ut hoc ipsum eos delectet peccare, etiamsi causa non sit.

III. Horum conscius, dicebat Augustus Imperator; postquam homines impleverint annum quinquagesimum; aut sponte illos mori, aut invito debere vitam tolli; tum enim ad felicitatis humanæ fastigium, terminumque pervenerunt. Quidquid homines ultra illam aetatem vivant; in gravissimis morbis, in mortibus liberorum, in jacturis fortunarum, in amicorum funeribus, in fovendis litibus, in debitis solvendis, in gemitu; ob præterita; in fletu, ob præsentia; in metu, ob futura; in devorandis injuriis, aliisque ærumnis innumeris abire. Qui anno quinquagesimo est vita hæc misera tollitur; quod in ea miserrimum est, ne videat, subterfugit; & quidquid porro homo vivit, per decliviam descendit, non incedendo, sed volutando, aut etiam cespitando, & prolabendo. An non igitur verius est, quod caelesti afflatu pronuntiavit Augustinus: *Quid est diu vivere, nisi diu torqueri?* Prius desinet cervus



currere, lupus prædari, leo non timeri, quàm homo pati. Non antè nascitur homo, quàm patitur; nec priùs desinet pati, quàm incipiet mori. Primum lucus tributum, pati est; inde per reliquas ætates, pendenda sua vectigalia miseriæ. Dolere, primum est, quod docetur, & ultimum, quod discitur. Omnia animalia suas statim agnoscunt vires: homo nascitur rudis ad omnia, nisi ad lachrymas; omnia discere, opus habet, præter luctum. Nihil ergò deest homini, ut patiat, etsi multum illi desit patientiæ. Vis salubre consilium, & utile monitum, quo tibi consulas, & bona persuadeas, atque ita ad finem, cui conditus es, pervenias? accipe illud non à Prophetâ, sed Poëtâ.

*Quid sis? quid fueris? quid eris? semper mediteris,  
Sic minus, atque minus peccatis subjeceris.*

## 29. DIES JUNII.

Sic mors ipsa, cùm venerit, vincitur; si priusquam venerit, semper timeatur.  
*S. Hieronymus in moral.*

Miseriæ hominis morientis. **I.** **N**on tantum homo est miser, dum nascendo, vita illi incipit, dum vivendo proficit, sed multò maximè, dum moriendo deficit. Post omnes, in nostrâ fabulâ, actus, superest ultimus actus, isque difficillimus; quia periculossimus. Sed cùm egentes quærant, quo locupletentur; mæsti, quo exhilarentur, ægri, quo sanentur; cùm qui mortem adeo formidamus, non investigamus



Junius.

Tessera.

505

modum non timendi? Hunc nobis suggerit hodiernæ diei tessera, quæ tibi erit tessera salutis, si tibi sit ejus usus familiaris. Et consonat illa cum verbis Platonis. Interrogatus à Socrate Plato, quomodo in morte se esset gessurus: *Scito*, inquit Socrates, *in juventute operam me dedisse, ut bene viverem; in senectute, ut bene morerer: quare cum Æ honesta fuerit vita, Æ latus expectem mortem: nec vita mihi est dolori, nec mors erit timori.* Dignior Catholico, quàm Ethnico oratio. Itaque ultimam horam nunc timere, ne tunc timeatis; illam nunc præcavete timidi, ut tunc possitis esse securi. Vult nos Deus vitam nobis in vita comparare, quia teste Augustino, *(a) Qualis quisque hinc exierit suo novissimo die, talis invenietur in novissimo sæculi die.*

II. Quàm inconsiderati sunt homines, non nisi semel sibi moriendum, cogitantes, cum verissimum sit, eo die, quo cœpimus nasci, incepisse & mori, & extremo die nos mori desinere; non repente in mortem incidimus, sed paulatim procedimus. Prima, quæ vitam dedit hora, eadem & carpsit. Si nihil aliud mors est, quàm vitæ exitus, & finis cujusque rei; licet dicere, nostram, & infantiam, & pueritiam, & juventutem, & virilem ætatem mortuam esse, quia illarum est finis, & senectutem mori, ac morituram esse. Unde efficitur, singulis nos annis, mensibus, hebdomadis, diebus, horis, & momentis mori; atque ita, dum vitam nos agere securam arbitramur, mortem ubique comitem habemus. Itaque mors non una venit, sed quæ rapit, ultima mors est. Illud porò in confessio est, eum solum, mortem sine dolore susce-

Ii 3

pturum,

(a) De verb. Dom. 21.



pturum, qui ad suscipiendam illam diu antè se præparaverit. Hinc prudenter Lactantius: (a) *Ita vivere hominem oportet, ac si post horam unam, ei esset migrandum*, quia quales tunc invenimur, tales & judicabimur. Quod non es moriturus in vita, non potes habere post vitam. Quod igitur potes facere in vita, noli differre usque ad mortem. Denique hoc tibi sit ad benè moriendum, ultimum præsidium: sic semper, & ubique vivas, ut ultimam quamque lucem, tantquam non redituram consumas.

III. Erit aliquando tempus, & elucet illa dies, & hora, omnium horarum novissima; qua de omnibus, quæ in hac vita habuisti, nihil auferes, nisi ferale amiculum: Heu tibi! tunc in arenam descendes, ubi non exagitaberis à bestiis, sed devoraberis à vermibus; tunc in eas redigeris angustias, unde fugere nequis; & si opperiris, non aliud, quàm mortem opperiri necesse erit. Fastidium cibi, in somnia, amor solitudinis, rædium societatis, anhelus spiritus, frequens gemitus, frigidus sudor, in genis pallor, in membris tremor, in corde pavor, ubique horror, indicio erunt, quibus fluctibus intus agitetur animus, quanta sit tempestas cordis. Quis, hæc expendens, vitæ tempus non benè impendat? Si enim nihil non agimus, ut aliquantò diutiùs vivamus; quid non agendum, ut benè moriamur, cum inde pendeat, ut æternum feliciter vivamus? Catone Censorino, Romæ censuram gerente, civis quidam clarissimus defunctus, maximum in morte declaraverat animi robor; cuius: cum fortitudinem, & quæ tunc protulerat verba, laudarent cives cæteri; Cato, & dicta, & laudes illius irrisit, deque risu causa interrogatus; Vos, inquit, cur ridiam miramini?

(a) *L. 7. extrem.*

ramini?



Junius.

Tessera.

503

miramini? ego verò vos mirari rideo. Consideratis enim arumnis, ac periculis, cum quibus vivimus; & securitate, ac quiete, cum qua morimur; majore, dico, fortitudine opus esse ad vivendum, quam audaciâ, ad moriendum. Verum est, minus mali est mors honesta, quam vita ærumnosa: sed Christiano, mors erit securata, si juxta leges Christi, vita fuerit honesta: ut talis sit vita, qualem optabis fuisse, dum defines vivere, jurabit illud sæpè expendere:

*Quid caro? vilis humus: quid carnis gloria? fumus.*

### 30. DIES JUNII.

Omne tempus nobis impensum; à nobis exigetur, qualiter sit expensum. *S. Bern. discept. 208.*

Temporis I. **I**Unii jam nobis elapsi tempus impendimus; quomodo expendimus, à nobis olim, coram supremi Judicis tribunali exigetur. Si præteriti mensis, malè; saltem ut futuri tempus, magno cum quæstu salutis, hoc est, benè impendamus, Æternitatis immensum tempus, ad quod tacitis annis devolvimur, animo expendamus. Teste Boëtio, (a) *Æternitas est vita interminabilis tota simul, & perfecta possessio.* Quæ licet Deo potissimè congruat; convenit tamen & beatis Deo fruentibus: illi enim possident vitam, bonis omnibus cumulatissimam, perfectam, integram, & nunquam desituram. Nulla est enim fruendi boni, forma præstantior, quam plena

(a) *L. 5. prof. 6.*



plena possessio, ut quæ pleno imprimis domini jure  
fulciatur; quæ verò habentur seu commodata, seu  
deposita, non sunt satis expediti usus, planeque libe-  
ri: deinde nec rerum fruendarum inter capedine, nec  
facultatum fruendum pugnantibus inter se muneribus,  
angustisque dividitur; sed tota simul est; cum  
è contrario, gaudere caducis nemo potest, ac ne plu-  
ribus quidem, nisi ea dispenset apta successio; & sic  
admoveat sensibus, ut possit ab iis percipi, nec sensu  
unius interturbetur ab alio.

II. Deinde, eadem est *perfecta*, tum quòd tran-  
quille, vereque segura, tum quòd beatis nihil obstat  
bonorum diversitas, longinquitas, celsitas; quo mi-  
nus in illa totus se animus infundat, totumque illa in  
animum se penetrent: ac suæ illum jucunditati, quan-  
tus quantus est, penitus asserant. O Beatitatem! quæ  
tota, quantumvis immensa; quæ simul, tametsi æter-  
na; quæ perfectè, plenè, ac intimè, licet varia, multi-  
plex, & effusa possideatur. O nostra, in his vitæ bonis,  
angusta, brevia, pannosa gaudia; secumque non ra-  
rò, sæpiùs nobiscum pugnantia! Unde etiam scripsit  
Plotinus, (a) *Æternitatem, vitam esse plenam, ac si-  
mul totam*; nullâ, scilicet, animæ, sensuum, ac vitæ  
parte liquidissimis suis voluptatibus vacuâ vel egen-  
te: nullâ facultate alterius occupationem, & gaudia  
intercipiente. Reorum verò, quos Dei justitia æternis  
addixit suppliciis, his in oppositum, heu! nimium si-  
miles, & lachrymabiles, quâ mente spectabimus? heu!  
enim ii suis arctantur, pervadunturque suppliciis: ut  
illa se tota totis illorum corporibus, & animis, ac  
sensibus intrudent; & ut ita dicam, possideantur non  
sola

(a) *Ennead. 37.*



Junius.  
iniū iure  
lata, seu  
que libe-  
dine, nec  
muneri-  
est; cum  
ne plu-  
o; & sic  
ec sensus  
od tran-  
nil obfer-  
quo mi-  
ue illa in-  
ti, quan-  
em! quae  
et si ater-  
ia, multi-  
ta bonis,  
e non ra-  
n scripsit  
m, ac se-  
n, ac vita  
vel egen-  
& gaudia  
a æternis  
mum si-  
mus? sic  
licis: ut  
nis, ac  
atur non  
foli

Junius.  
solâ injectione manuum, aut pecudum; sed omnium  
virium, & articulorum immersione coactâ, ineluct-  
bili, sempiternâ.

III. Addo, & plena, & simul tota, ob cruciatuum  
omnium concursum, nec sibi obstantium, nec tor-  
quendi atrocitate obrudentium sui sensum, nec  
partis unius dolore, tormentum alterius consopien-  
tium; nec enim spiritus, quibus utitur attentus, & ab-  
sorptus flammis, sentit mitius flammâs, quibus carnes  
liquantur: nec famem, & sitim amaror, nec visorum  
horror, aurium metus attonitos, nec sensus cuius-  
quam, aut partis dolorem, dolor alterius distrahit,  
aut retundit: suis, tota præsens tormentis omnibus  
anima non potest non adesse. Deus immortalis! Sa-  
xum excavat aqua gutta; quadraginta dierum plu-  
via, orbem mergit; quid, cum ignem, sulphur, tem-  
pestates æterno impetu in miseram animam, ira Ju-  
dicis vibrabit? Hæc dum legis, necdum qui jaces,  
furgis? qui dormis, evigilas? qui torpes, exilis? qui fe-  
riaris, laboras? ut infaustam æternitatem declines to-  
tam; ut hoc vitæ momentum benè impendas, ani-  
mum inclina. Cuidam quærenti à Biante, quid diffi-  
cillimum esset mensuratu? Nihil, inquit, rerum om-  
nium esse, quod tam accuratam desiderat, quàm tem-  
pus, in metiendo diligentiam. Adeò quippè exactè  
metiendum tempus, ut neque rationi quidquam ad  
benè agendum desit, neque libidini quicquam ad  
malè agendum superfit. Cogita vitam esse viam; vi-  
ta tempus esse cursum ad metam. Hisce omnibus  
Poëta hoc lemma inscribit:

*Per quasvis horas, ad metam volvitur ætas.*